Hoc igitur *graeco* archetypo duce sive ipse D. Szafarzyk sive alius quiscunque, praeter primas sex lineas hucusque a nobis extricatas: оче̃ ти̃ благослови. Иоана Хрьсостома на рожьсто ст҃ьѧ бц҃ѧ etc., facilius poterit et sequentes sine chemiae sive divinationis combinatoriae ope repraesentare. Nobis sufficit scire, quicumque demum haec rudi et recentiori manu adleverit vetustissimo Raygradensi Adonis Martyrologio, eum fuisse non Cyrillum, imo nec veterem Cisdanubianum, nec Bohemum, sed aut Russum, aut rudissimum Illyrium hodiernum, teste ipso titulo homiliae на рожьсто (sic, *russice* quoad ж pro жд, et *montenegrinice* quoad сто pro ство). Nam quis vel S. Procopio eruditissimo sec. XI. abbati *Bohemo*, imo „vel *honesto* et *fide digno*" *Petro* archiepiscopo Russiae, qui Anno 1244, teste Matthaeo Parisiensi e Tartarorum ruinis penetrarat ad c i s a l p i n a s partes, auxilium quaerens Romanae Ecclesiae, ausit haec diaconalia pennae pericula adscribere? Imo ad Karamzini exemplum (quippe qui Tabulas Capponianas

*) Recte monet h. l. doctissimus comes C. O. Castillionaeus, videri deesse aliquid, cum nec antithesis congruat, sed sic esse revera in codice.

olim Petri Magni cimelium non dubitarit Petro fortasse ipsi suppares pronunciare, ex eo quod Russi talia semper eodem typo repetant), licebit et nobis eadem ratione suspicari, fortasse et hoc marginale transcriptum esse ab agyrta quocumque graecoslavo (quidni ipso Gerasimo Zelich Dalmatino plus simplici vice per Brunnam peregrinato) in vetustum Brunnense martyrologium ex edito ante correctionem libro Russico? Quid denique, si idem impostor recens scripserit, qui Liubussae fragmentum confinxit, atramento aeque viridanti? —

2.

De monasterii Bodyan in Hungaria Evangelio, Schaffarikio quidem judice dialecto Slovacica exarato, litteris cyrillianis.

Refertur ex operis periodici, quod ab anno inde 1825 Budae prodit quater per annum titulo Annalis Serbici (Лѣтопись сербска russice, nam лѣтописъ Serbis est m. non f.) fasciculo 11, p. 20. de fragmento codicis cyrilliani, Пооученнꙗ Недѣльнаꙗ (homilias dicas in evangelia) continentis, dicitque, qui refert Serbus, se nunquam et nusquam talem сербулям vidisse; proptereaque afferre ex Matthaei Зачало 37 (de Zebedaidis etc.) tres pagellas, ut et alii mirentur aut definiant. Nec dubitavit definire P. J. Schaffarik, in opere suo „Abkunft der Slawen", anno 1828 publicato, p. 208, pro Evangelio *Slovacico* litteris cyrillianis exarato. De Serbo non miramur, qui ad insuetam sibi сербулям obstupuerit; poterat tamen et ille, sicut post eum fecit Schaffarik, codicem abjudicare Serbis, et quaerere aliam nationem quae eadem scriptura cyrillica utatur; et ipsi quidem Serbo pronissimum fuisset Russis tribuere librum sibi insuetum, habereque pro Русуля loco Сербуляе. Schaffarik suis popularibus Slovacis dare maluit, quamquam illi nunquam sint usi scriptura Cyrillica. Apparet autem, si quis vel obiter inspexerit specimen a Serbo communicatum, esse codicem *ruthenicum*, lingua ecclesiastica vetere plus minus mixta hodiernâ vulgari; solent enim omnes Slavi, in hodierno suarum scholarum misero statu linguae suae sacrae *αὐτοδίδακτοι* i. e. semidocti, pro suae domesticae dialecti varietate librorum sacrorum obsoletam linguam hodierna quisque sua variegare, Russus *Russica*, Serbus *Serbica*, Bulgarus *Bulgarica* et *Ruthenica* Ruthenus: at Slovaco non erat hic locus. Longe enim doctior et *κριτικώτερος* est Szafarzyk, quam ut somnianti Maciejowsko concedat, praeter exstinctos nunc penitus Slavos Polabos reliquos omnes hodie superstites Slavos circa S. Cyrilli tempora fuisse non solum christianos sed etiam ritus graeci et patriarchae Byzantini christianos. Imo nos quidem non dubitamus, Slovacos tempore ipsius S. Methodii im-

peditos fuisse a Nitriensi Episcopo Wichingo, Methodii quidem suffraganeo sed inimico, quo minus vel illo aevo slavicam audirent missam; qua denique Hungari supervenientes ipsos etiam Slavos pannonios exuerunt. Bohemorum vero et Polonorum aut Hungarorum ritus, *graecus*, quem Maciejowskus *slavicum* appellat ineptissime, somnium est hominum Ecclesiam Romanam partium studio calumniantium, non criticorum aut vel simpliciter historicorum.

3.

De trilingui psalterio San-Florianensi in Austria Superiori.

Innotuerat exeunte vere anni 1827 per litteras San-Florianensis tunc bibliothecarii, (nunc c. r. aulici archivarii) *Jos. Chmel* datas ad Caes. Bibliothecae custodem *B. Kopitar*, exstare in monasterio S. Floriani psalterium trilingue, latino-germanico-polonicum; adjectumque illis litteris erat primorum foliorum apographum; quod ipsum apographum una cum canonici Chmelii epistola gratulabundus Vindobonensis bibliothecarius doctissimo collegae et amico *Sam. Bandtke*, Cracoviensis Universitatis tunc bibliothecario eo ipso quo acceperat die transmisit.— Neque cum indigno communicaverat tam insperatum ἕρμαιον; mox enim sumptibus Societatis scientiarum Cracoviensis prodiit Cracoviae 1827 libellus: Wiadomość o naystarszym może Psalterzu polskim etc. (notitia de antiquissimo fortasse psalterio polonico), pagg. 39 in 8.

Proxima Kopitarii cura erat, ipsum codicem R^mi^ Abbatis liberalitate Viennam submissum suis usurpare oculis, scrutarique ab initio ad finem. Indicarat jam *Bandtke* vestigia insignium regum Hungariae stirpis Andegavensis, hincque nullo negotio conficiebatur, fuisse psalterium destinatum pro regis Ludovici Magni filia *Maria*, cujus initialem *M*, idem angelus altera manu tenet, qui priori ejusdem puellae regiae gentilitia stirpis arma. Cumque ex historia sat notum esset, *Mariae* bohemico *Sigismundo* desponsatae destinatum fuisse regnum Poloniae, pronum erat statuere, codicem apparatum quidem fuisse intra annos 1370 — 1380 pro Maria, sed ab illa ipsa postea, una cum regno Poloniae, concessum juniori sorori *Hedwigi*, quae dein ab a. 1385—1399 vixit, commodi Polonorum angelica martyr, tandem in primo puerperio exstincta. Laudant poloni scriptores reginae Hedwigis non solum corporis angelicam pulchritudinem, sed et aequalem animi candorem et bonitatem, librorumque patria Polonorum lingua exaratorum amorem. Et duravit in aula Cracoviensi etiam post Hedwigis mortem reginarum in linguam patriam amor; notum est, *Sáros-Patakini* in Transsilvania exspectare adhuc patriae amantem editorem biblia polonica vetustissima, *descripta*, ut non male conjicit doctissimus Kucharski oculatus testis, *ex Hedwi-*

gis denuo exemplo, (plane ut antea Mariae psalterium ex aviae Elisabethae fuerat coeptum describi), in usum *Sophiae* reginae, quae Hedwigi in thalamo Vladislai successerat. Nec mirum; erant enim illo aevo libri eleganter scripti et picti, sive sacri, sive profani, pars supellectilis hominum venustiorum et mundi muliebris. Nota sunt, ut de proximis loquamur, in Bibliotheca Caes. Vindob. biblia cum pulcherrimis picturis, Voll. VI., germanica pro Imperatore Wenceslao, fratre natu majore Sigismundi cui destinata erat biennis Maria; et propius etiam ad nostrum psalterium accedit Evangelium „in lingua triplici exaratum, scilicet in lingua bohemica, teutonica et latina", quod Richardi II. uxor, 1381 — 1394 „*bona*" regina Anna, Wenceslai et Sigismundi soror, e Bohemia in Angliam attulerat, teste ipso famigeratissimo Wykliffo.

Sed interea, dum nos circumspicimus, quo potissimum modo trilingue illud psalterium publici juris faciamus, resque esset ope Societatis scientiarum Warsoviensis quasi jam affecta, ecce turbo politicus a. 1830 exeuntis hanc etiam triplicis psalterii editionem converrit; si minus ex asse, at certe ex besse. Nam obviam nobis facto forte fortuna in foro Vindobonensi noto e domo olim Ossoliniana comite Stanislao Dunin-Borkowski, non neglexiumus illi negotium hoc patrium infelici bello interruptum commendare; illeque accedentibus postea etiam magnae spei nepotis doctissimi precibus in se recepit editionem, subministrato gratis a nobis ad id apographo codicis curato ab ipso canonico Chmel, una cum accuratissimo folii codicis maxime decretorii diagrapho (fac-simili), Abbatis sumptibus cum suis coloribus delineato. Tandemque ille interposita sat diuturna adhuc mora constituerat edere *partem* tantum *polonicam*, idque post aliam iterum moram Viennae, Kopitario sponte gratuitam offerente operam correcturae quam vocant. Sicque tandem 1833 prodiit triens codicis polonicus, levius quam doctius inscriptus ab ill^mo Comite „Psalterium reginae Margarethae."

Nunc ad summam rei descendamus, cujus causa haec scripsimus. Kopitar dum impressionem psalterii ad ipsum codicem denuo Viennam submissum corrigeret, ut res ipsa et poscebat et merebatur, diligentissime, non potuit non observare, codicem aperte ostendere non solum duplicem scripturam et picturam, sed et duplicem *dialecti* Polonicae aetatem; cumque insuper *recentior* anteriorque in codice scriptura, quae habet angelum cum initiali et armis Mariae Andegavensis, per fasciculos *quaternos* ordinetur, antiquiorem plerumque *quinternis* aut vel *sexternis* esse dispositam. Admonueratque etiam tunc absentem in Galicia comitem per epistolam hujus sui novi inventi Kopitar: sed is, unice amplexus e Kopitarii suppressis praemonitis ostensam moravicam suam Margaretham, quae quidem *Mariam* triginta annis praecesserat, non vidit integri fere seculi lucrum in Kopitarii distinctione; fatali, ut videtur suo damno!

Dicimus itaque, codicem psalterii San-Florianensis esse conflatum e *duobus* codicibus; esseque partem priorem usque ad ps. CI. v. 18. pag. 58. editionis, descriptam intra 1370—1380 non sine emendatiori et lingua et orthographia ex antiquiori psalterio aviae Elisabethae, Casimiri M. sororis, tertiae uxoris Caroli Roberti Andegavensis, ductae 1320 et demortuae 1380; at, mortua hac avia, missa descriptionis reliqua continuatione, ipsius antiquioris psalterii partem posteriorem cum recentiore apographo fuisse compactam in unum volumen; quod postea per Hedvigem in Poloniam advectum, ibique relictum inter reginarum cimelia, post plusquam duo saecula Catharina Austriaca, regina Poloniae, relicto dissoluto et insanabili marito recedens in Austriam retulit et post mortem monasterio S. Floriani reliquit.

Jure igitur summo dicimus, servari polonicae linguae monumentum *amplissimum* in hoc psalterio non solum anni 1370, sed in parte illius posteriori ab anno ad minimum 1300, si eam vel Elisabethae usui destinatam credamus; etiamque vetustius, si aut pro hujus matre, aut pro consobrina Maria Casmerii Cujaviae ducis filia, quae Elisabetham in Caroli Roberti toro praecesserat, scriptum arbitrere. Adde ipsius codicis adornatorem ad ps. 118 observare lingua germanica: alſo in ander.. Exempl..; quod quid sibi velit proprie, Polonis dijudicandum relinquimus; potest enim *simpliciter* innuere exemplaria *latina* aut *germanica* pariter transpositum habere psalmum 118. Nam de duplici *aviae*, nempe Elisabethae, et *neptis* Mariae exemplari nullum est dubium, cum utrumque ipsi et manibus usurpemus et oculis. Confer, si videtur, quae de hac principe longe antiquissimi hujus linguae polonicae monumenti editione disseruimus in Annal. litt. Vindob. tomo 67, ubi inter alia videbis, recentioris scripturae esse quaterniones I — XXIV, dein subsequi per unum aut duos quaterniones διασκευαστὴν copulantem utcumque in brevius coacta scriptura amborum codicum partes, tandemque a quinternione XXVII ad XXXV psalterium fine mutilum deficere cum textu *antiquissimae* versionis, et sine dubio primae polonicae; id quod meridiana luce clarius apparet e copia synonymorum, qualia pro uno vocabulo latino polonica bina aut terna saepissime in hac posteriori parte propinantur, in priori nunquam!

4.

De cimelio Remensi, olim dicto Gallis „le texte du Sacre", feliciter servato.

Nota sunt *Schlözeri, Dobrovii et Alteri* desideria hujus codicis, quem non conjectura solum sed ex ipsius doctissimi Galli *Sylvestre de Sacy* litteris, qui Alteri nostri rogatu, de hac re decuriones tunc (1799) Remenses interpellarat, summo jure credebant cum reliquis feudalibus

clenodiis 1793 publice combustum esse, furente maxime „Revolutione.„ Augebatque desiderium Schlözeri lamentatio, et Dobrovii Alterique doctae hypotheses de natali tam cari codicis; Alterus enim eum partem putabat ingentis praedae ex capta 1204 ab Occidentalibus Constantinopoli, Dobrovius donum Serborum reginae Helenae a. 1250, quam quidem ille falso pro nata Galla habuit, cum nonnisi Francam dicant chronica, id est, inter Catholicos Occidentis natam, sive Hungara fuerit sive Galla, aut Germana. Eodem jure, id est purae putae conjecturae, quo Alterus et Dobrovius, opinabatur Kopitar, codicem adlatum Parisios ab Henrici I. Galliae regis uxore Russa a. 1050. Et quid impediebat quartum quemcumque eodem conjecturae arbitrio opinari, codicem esse ipsius S. Methodii, ad confutandos slavicae liturgiae calumniatores missum Romam et inde nescio quo casu delatum Remos? Quare nos, ut et populi perseverant *vivos* credere bonos principes, quamvis fama nunciet obitum, non *credentes* factum, quod *nolebamus*, ruminantes praeterea, non videri probabile ut quis volumen, argento auroque tectum, et gemmis ornatum igni tradat, furto autem exutum abscondi potius quam publice efferri, per amicos Russos et Gallos renovavimus in loco de textu remensi investigationem, et ecce praeter spem optatis respondit eventus! *Vivit adhuc* codex quaesitus, sed thesaurus et nunc quidem carbo est, at magno tamen nostro solatio etiam olim idem fuit. Scimus ergo, nobis nil pretiosi *periisse.*

Neque nos neglеximus hunc qualemcunque sed *certum* nostrae indaginis fructum in Brockhausii foliis litterariis a. 1838, Nr. 34- 35 publicare. Sed ecce, nuperrime vidimus in russici Сынъ Отечества, T. VIII, appendicis p. 70. vanam in autoptam Russum *Strojev* calumniam alius Russi anonymi, qui ex archiviis russicis se putat probare posse, *verum* textum slavicum periisse, servatumque tandem alium viliorem, quo antea (ante A. 1655) utebantur ad regis inaugurationem. Anonymi calumniae confutandae sufficit una haec, sed palmaris objectio, codicis *servati* primam columnam a bibliothecario remensi λιθογραφικῶς publicatam respondere ad amussim notae pridem notitiae et versioni a secretario legati Russici a. 1721 confectae ad preces canonici cujusdam remensis. Est ergo hic codex verus verissimus idem, qui a Petro Magno 1717 visus et in priori sui parte agnitus est pro cyrilliano. Si arguendus erat Strojev, potius in eo poterat reprehendi, quod partem posteriorem glagoliticam non agnoverat pro Slavica; licebat hoc Petro Magno 1717, at non *erudito* Slavo a. 1837. Quo autem *alio Evangelio*, vix putem slavico, ante hanc Cardinalis Lotharingici donationem usi fuerint in „Sacro" Galli, nunc nobis quidem perinde est, cum sciamus, slavicum nobis *verum* servatum esse, quamquam seculi vix XIV codicem.

5

De Evangeliario latino versionis antiquae Italae in Bibliotheca Vindobonensi.

Similem gallico sacro Textui naufragum arbitramur evasisse in Caesaream bibliothecam Vindobonensem, at longe hunc illi superiorem *materia*. Invenimus nempe in Caesarea bibliotheca codicem Evangeliorum in membrana purpurata auro argentoque, olim saeculo ad minimum 6 — 7 exaratum, post Denisii demum mortem nescio quo auctore illatum; necdum ulli memoratum, nisi forte HUG ὁ πάνυ, Introd. I. 170, habuerit in animo. Exutus est codex (pari cum Remensi sorte usus) externo omni ornatu et expilatus, imo nec illaesus in ipsa extima cute, planeque nunc nudus, sed honestissimo tegumento dignissimus; nam minime dubitamus, ex ungue agnitum iri leonem italum a summo Lachmanno, cui proximum hoc quoque exemplum antiquissimae nostrae *Italae ineditae* sufficiet ad edendam, quam ipse cupit, integram Italam, nostro longe antiquissimo codice comparato cum reliquis hucusque publicatis. Scriptura codicis proxime accedit ad Mabillonii p. 357 sec. VI et VII codices. En paginam textus hucusque penitus ignotae nostrae Italae:

Ex Matth. XIII. 33—38.

QUODACCIPI
ENSMULIERABS
CONDITINFARI
NAMENSURAS
TRESUSQUEQUO
TOTUMFERMEN
TETUR

HAECIGITUROM
NIALOCUTUSEST
IHSINPARABO
LISPOPULOET
SINEPARABOLAS (sic, semirasa
NONLOQUEBA tamen A litterae
TUREIS parte antica).

VTSUPPLERETUR
QUODDICTUM
ESTEISPERPRO
PHETAMDICEN
TEMAPERIAMIN
PARABOLASOS

MEUMERUC
TUABOROCCUL
TAABORIGINE

TUNCRELINQUENS
POPULUMVENIT
INDOMUMET
ACCESSERUNT
ADEUMDISCIPU
LIDICENTESDIC
NOBISPARABO
LAMAGRIETZIZA
NIORUM

QUIBUSAITQUIBO
NUMSEMINAT (sic)
UITSEMENFILI
USESTHOMINIS
AGERAUTEM
ESTHICMUNDUS
BONUMAUTEM
SEMENHISUNT

6.

De Facultatis Pragenae Medicinae Doctore Francisco Skorina Lithuano, Doctoris Martini Lutheri insidiatore quaestio historica.

Notum est ex *Lutheri* Vitis omnibus, a. 1525 eum feliciter evitasse insidias doctoris Francisci poloni, qui Witebergam advectus adeo se et vultu et moribus et omnigena doctrina insinuarat Melanchthoni, ut hic ei sponte apud se hospitium offerret. Invitatur ad coenam tertius ipse Lutherus, nec ipse minus fratre Melanchthone captus peregrini doctoris dotibus adeo, ut eum ad proximum jentaculum invitaret et latrunculorum lusum. At quum coenatus rediret domum Lutherus media fere nocte, subito ei redisse in mentem amicorum ante quadriennium admonitionem, caveret quemdam doctorem Franciscum polonum, vaferrimum veteratorem subornatum ab Episcopis bis mille aureorum pretio ad tollendum Lutherum. Qua repentina suspicionis refricatione adeo turbatum fuisse virum diaboli insidias non semel expertum ideoque minime contemnentem, ut summo proximae lucis mane Witeberga fugeret Torgaviam, relicto ad famulum mandato, ut advenienti Polono non solum domini inexspectatum abitum nunciaret, sed et interdiceret cubiculi accessum, ne forte illud ipsum fascinaret; famulum tamen, fortasse minus hero δεισιδαίμονα, non ausum esse peregrino tam comi et egregio negare aspectum cubiculi magni viri. Quod cum comperisset Torgaviae Lutherus, non solum acerrime increpuisse servum, sed etiam exegisse a magistratu Witebergensi, ut illum diabolicum praestigiatorem Franciscum traderet ad tormenta. Sed eadem, qua apud Melanchthonem et Lutheri famulum fortuna esse usum Polonum etiam apud magistratum, dimissumque doctum et elegantem hospitem cum simplici consilio abeundi.

Jam si quis consideret, *Pragae* in Bohemia a. 1517 — 1519 illius Universitatis Med. *Doct. Franciscum* Skorinam, Lithuanum Polocensem edidisse eleganter *) impressa biblia *russica*, et 1525 seqq. Vilnae alia ecclesiastica lithuano-russica permulta, nonne sat naturalis hinc ei subnascetur suspicio, potuisse hac suspicione notari eundem Skorinam, hominem graecocatholicum, quique in bibliis e Vulgata vertendis rivalem habuerit Lutherum e fontibus interpretem, hacque ipsa de causa magis etiam a novatore, hieromonacho praeterea uxorato, alienatum. Nil fere deest, ad convertendam hanc hypothesin in *factum historicum*, nisi ut

---

*) Nescimus, quare cl. Dobrovius Skorinae typos Venetiis sculptos putet, cum et *Pragae* et *Noribergae* aeque boni artifices essent praesto, nihilque Veneti habeant Skorinae typi, cetera sat elegantes.

aliquis in archivis Witebergensibus inveniat ad reliqua ad amussim conspirantia nomen etiam *Skorinae.* Factum tamen non erit, Skorinam vere esse insidiatum vitae Lutheri, sed tantum, eum hujus criminis *suspectum* fuisse amicis Lutheri et ipsi Luthero; at non et Melanchthoni nec magistratui Witebergensi, qui certe, si vel tantillum *justae* causae subfuisset suspicioni, non defuisset summi Lutheri voluntati. Nec nos ignoramus, haec paulo aliter narrari a *Seckendorfio;* sed secuti sumus novissimos hac de re *Lutheranos* auctores; nec aliud quaerimus quam elucidari ex archivis nostram de hoc doctore Francisco Polono suspicionem.

7.

De psalterio slavico Bononiensi cum expositione S. Athanasii.

Est is Codex membraneus nunc *iterum*, ubi fuit a. 1746 quo Nic. Antonellus, editor S. Athanasii in psalmos, postea Cardinalis, ex illo specimen dederat, in bibliotheca Canonicorum S. Augustini ad S. Salvatorem Bononiae, a nobis anno 1837 suscepto ad id itinere italico, ab initio ad finem perlectus.

Juvat ante omnia illud specimen psalm. I. ex *autopsia* relegere, a Dobrovio p. 686 Institt. linguae Slavicae veteris, e conjectura emendatum. Sic habet Codex:

Блаженъ мѫжъ и́же не и́де на съвѣтъ нечъстивъі́хъ: и на пѫти грѣшънъі́хъ не ста: и на сѣдалищи гоубителъ (sic) не сѣде.

Нъ въ законѣ г҃дни волѣ его: и въ законѣ его поучитъсѧ дънъ и ноштъ.

И бѫдетъ ꙗ́ко дрѣво сажденіе́ (sic) при исходищихъ водамъ.

е́же плодъ свой дастъ въ времѧ свое́: и листъ е́го не оупадетъ.

И все е́лико творитъ: поспѣе́тъсѧ е́моу.

Не тако нечъстиви, не тако: нъ ꙗ́ко прахъ е́гоже възмѣтаетъ вѣтръ ѿтъ лица землѧ.

Сего ради не въскреснѫтъ нечъстивиі́ на сѫдъ: ни грѣшъници въ съвѣтъ праведнъі́хъ.

Ꙗко съвѣстъ г҃ъ пѫтъ (sic) праведнъі́хъ: и пѫтъ нечьстивъіхъ погъі́бнетъ.

Commentarius vulgo S. Athanasio tributus, litteris minoribus e regione textus psalmorum majusculis exarati incipit sic: Аѳанасиа́ архиепископа сказаніе́ ѱалмомъ. Пророчъство се сѧ съвръшае́тъ, ѡ́

іѡ́сифѣ аримаѳейстѣмъ etc. Cf. apud Montfaucon et Fabricium initium simile graecum.

Nota, hanc expositionem psalmorum allegoricam, in plerisque codicibus tributam S. Athanasio, nec graece hucusque, nedum slavice esse editam; exstare autem graece teste Fabricio Harlesiano VIII, p. 191 in bibliotheca Uffenbachiana codice A. 1574, itemque Venetiis in Justinianea, et in codice bibliothecae hispanicae Scorialensis, unde apographum typo paratum ineunte seculo XVII, transiit in bibliothecam Ambrosianam. Imo invenimus eam etiam in ipsa Vindobonensi bibliotheca, in codice nisi nos fallit suspicio longe ipso Scorialensi antiquiore, sec. XIII membraneo theol. gr. CCCXI, at non S. Athanasium auctorem, sed *Origenem* prae se ferentem. Slavicae versionis *partem* habuit *olim* doctissimus Eugenius defunctus metropolita Kieviensis, eandemque nunc habet Bibliotheca publica Petropolitana; integram vero, ut diximus, servat ineditam bibliotheca Canonicorum ad S. Salvatorem Bononiae. Nota item, non solum in Ambrosiana bibliotheca Mediolani jacere apographum graeci Scorialensis codicis typo dudum paratum, sed etiam aliud apographum (nunc fortasse *Parisiis* servatum), quod ex Alb. Fabricii desiderio sibi e Vindobonensi codice comparaverat optimus Origenis editor P. Carolus *de la Rue* benedictinus, ab illo aeque fuisse contemptum pro spurio, utpote quod *θεοτόκον* vocabulo utatur de B. M. V. praepostere. Huic dubio modeste sane oblocutus est noster Kollarius Lambecii editionis T. III. p. 68—71, ubi sat bene patrocinatur nostro codici, quem luce dignum pronunciat; nosque academiae scientiarum Russicae non dubitamus proponere gloriosissimam graeci archetypi una cum slavica versione conjunctam editionem principem. Quid quod codex Vindobonensis non solum Origeni longe antiquissimo et doctissimo auctori adscribit hanc *ἐξήγησιν*, sed et *librarium* habet in fine notatum, cumque illo etiam annum exscriptionis, (comparandum omnino cum subscriptione codicis Scorialensis, unde Ambrosianum apographum derivatur; si quidem talis adsit, quod nescimus, catalogi illius bibliothecae nonnisi I. volumine publicato, nondum assequente hunc codicem). Vindobonense autem apographum scriptorem habuit Michaelem *Luludin*. *Lambecius* difficilem lectu subscriptionem codicis insuper habuit; *Kollarius* diligentior extricavit quidem, sed imperfecte; dum enim suum Michaelem *Liondin* desiderat in catalogo scribarum Montfauconii, non animadvertit se ipsum male legere *λιόνδην* pro certissimo *λουλούδη*, a quo scriptum alium codicem, Colbertinum, A. 1299 excitavit Montfaucon; ut adeo non e docta solum conjectura, sed etiam scripto certum sit, Vindobonensem hujus psalmorum *ἐξηγήσεως* codicem esse seculi XIII. Montfauconii beneficium lubentes et merito compensamus, illustrata e nostro codice dignitate scriptoris *Luludi*, qui se prodit *πρωτοψάλτην* Cre-

tensis ecclesiae, et antea Ephesinae ecclesiae cantorem. Interea, dum Academia Russica de nostro desiderio decreverit, conferamus Bononiensis codicis textum cum publicato a nobis ex Eugenii fragmento in Glagolita Cloziano p. 41. Psalm. CIII, 1 — 11.

Cod. Bonon. folio 165 — 166. recto.

ѱаломъ ѡ твари всего мира.

Благослови дш҃а моꙗ г҃а.	Видишили коѥ ѡснованиѥ положи ѱалмови дх҃ъ ст҃ы въздвиже ч҃лчѫ, да б҃лвитъ вышѫ г҃а.
Гн҃и б҃же мои възвеличилъ сѧ еси зѣло.	Въсѣко бо дыханиѥ величитъ г҃а.
Въ ісповѣданиe и въ велълѣпотѫ ѡблѣчесѧ.	ѥгда исповѣданиѥ приноситъсѧ б҃ви, тогда въ велълѣпотѫ ѡблачитъсѧ, ꙗко любѧ ѡбращениѥ ч҃лчьско.
Ѡдѣжисѧ(sic) свѣтомъ ꙗко и ризоѫ (sic).	Свѣтъ ѥстъ весь исвѣта (sic), и въ свѣтъ ѡблѣченъ· б҃ви бо подобаѥтъ.
Пропинаѫ (sic) небо ꙗко и кожѫ.	Показаѥтъ силѫ б҃жиѭ, ꙗковаже ѥстъ. протѧже словомъ н҃бо ꙗко и ризѫ простѫ.
Покрываѫ (sic) водами прѣвышнѣꙗ своꙗ.	И се силы б҃жиѭ ѥже призывати водѫ морскѫѫ. ꙗко покровомъ ѡблагати н҃бо. и по лицоу земи.
Полагаѫ ѡблакы въісхождение свое.	Възыде бо на ап҃лы ꙗко на ѡблакы. да вселенѫѫ просвѣтитъ. възыде же и на ѡблакы тогда. въ врѣмѧ въскрьсениꙗ. вьниде въ бцѫ ꙗко ѡблакъ.
Ходѧи на крилоу вѣтрьноую.	Въсходитъ бо и на вѣтрь ѥгда хощетъ. г҃летъ же плътьскыѭ таиньı.
Творѧи аггелы своѫ дх҃ы.	Не тъчиѫ н҃бсныѭ нъ и земныѭ. стыѭ (sic) подвизавъшѫѫсѧ и сиѫ оумны съвръшаѫ.
И слоугы своѫ ѡгнъ палѧщъ.	ѥгда бо хощетъ, и въ ѡгнъ въмѣтаѭтъсѧ ст҃ии. ѡгнемъ доуховъномъ оукрѣплѣеми.
Оснываѫ земѧ (sic) на тврьди своеи.	На водахъ оутврьдисѧ рѫкоѫ божиѥѫ. и прѣбываѥтъ неподвижима, такожде и ч҃лкъ ꙗко землѣ сѫи на водѣ ѡснываѥмъ ѥстъ кр҃щениꙗ.
Не приклонитъсѧ въ вѣкы.	Не движитъ босѧ и си на водахъ оутврьдена. волеѭ б҃жиѥѫ оутврьждаѥтъсѧ и прѣбываѥтъ.
Бездна ꙗко риза ѡдѣꙗние ѥѫ.	Не постижноѥ г҃летъ. таины въ плъщениꙗ безднѫ ꙗко измѣрити не възможно.
На горахъ станѫтъ воды.	На догматѣхъ пророчьстѣхъ станѫтъ воды кръщениꙗ.
Отъ запрѣштениꙗ твоего побѣгнѫтъ.	Бѣсове ѿ воды кръщениꙗ прогоними сѫтъ знамениѥмъ кр҃тныимъ.

И ѿтъ гласа грома твоего оустрашѫтъсѧ.	ѿ гла҃ ѥвaггелъскыѩ проповѣди. оубоѩтъсѧ и лѫкавнии доуси.
Въсходѧтъ горы и нисходѧтъ полѣ.	Демони възвышаѫтъсѧ ѩко горы. низѣѫтъже ѩко поле посмраждениѩ. ѩкоже ѥстъ писано. гл҃етъже и влъны моръскыѩ.
Въ мѣсто еже еси ѡсновалъ нмъ.	Тамо бо идошѫ. въ мѣсто нареченое имъ ѿ ба҃. гл҃етъже и влъны морѣ, и чювествънаато и разоумънаато.
Прѣдѣлъ положи егоже не прѣидѫтъ.	Морю прѣдѣлъ пѣсокъ положи. нъ и бѣсомъ кр҃та. идеже бо видѧтъ трепещѫтъ.
Ни ѡбратѧтъсѧ покрыти землѧ.	Ни влъны моръскыѩ могѫ (sic) покрыти земѧ. ни пакы бѣсове оудоблѣти чл҃коу. оупразнишѫ бо сѧ.
Посылаѫисточъникы въ д҃брехъ.	Гл҃етъ оубо дъбры горъскыѩ ѩко въ тѣхъ воды шоумѧтъ. сѫтъ же слъзы покаѩниѩ. дъбрыже доли ѡчесънии.
Посрѣдѣ горы проидѫтъ воды.	Пр҃ркъ гл҃етъ и ап҃лъ. горы бо ст҃и и ѡни и сии сѫтъ. срѣдѣже сихъ воды кр҃щениѩ.
Напаѫ (sic) всѧ звѣри селъныѩ.	Въздивиѩвъшѫѫ ѥлинекоѫ прѣмѫдростиѫ. и ѩко звѣрие въ лѫзѣ демонъстѣ жироуѫщѫ. не ибо ко кр҃щению пристѫпаѫтъ радоуѫщесѧ. и напаѩеми б҃тиѫ (sic).
Жидѫтъ тебе инагри (sic) въ жѫждѫ (sic) своѫ.	ѩзкъ гл҃етъ, ѩко неразоумно работашѫ лъсти. ти бо ѩко дивии. ѿметъникъ (sic) ѡбращению бѣшѫ. ѡбаче инии вънждашѫсѧ водѣ кръщениѩ.

Jam *primo* vides, lector erudite, aliam esse textus aliamque expositionis orthographiam, itaque unum ex *hoc*, alteram ex *illo* antiquiore codice exscriptam (idem patet, ubi *commentarius* psalmi verba repetit, quae aliter sunt in *textu* nostro); quod enim illi est его, huic est ѥго, свое-своѥ; *tum* confundi ab utroque quidem, praesertim vero a scriptore expositionis, ex *hodiernae* dialecti *bulgaricae* genio vocales ѧ et ѫ; *tertio* Russis patrium arridebit in tam veteri codice *bulgarico* пѣсокъ et ко pro Slavico пѣсъкъ et къ (in reliquo codice occurrunt сонъ pro сънъ, кротокъ, възопихъ, мръзокъ, etc.).

Nam de bulgarismo non est dubium. Folio enim **119** post psalmum **76** occurrit tibi subscriptio gratissima: **Помѣни г҃и раба своѩ҃. и ѡ с н ф а и т и х о т ѫ съ фавъша книгы сиѩ҃ съ б҃жиѩ помоштиѩ҃ и ст҃ыѩ҃ бцѫ присно дѣ҃вѫ мариѩ҃. писашѫже сѧ въ ѿ х р и д ѣ градѣ въ селѣ рѣкомъıмъ р а в н е. при ц҃ри а с ѣ н и блъгарсъкы҃мъ (sic).** Vides ergo codicem esse scriptum manibus librariorum *Josephi* et *Tichotae*, (*Tacitum* latine dixeris, gr. *Hesychium*) in villa Rauna prope Achridam sub rege Bulgarorum *Asjene*, quem notum est excusso Graecorum jugo

regnasse a. 1185 — 1195. Subsequitur revera a psalmo 76 alia manus minus exercitata tam in textu quam in commentario, subtilior et inclinatior; fortasse *Béloslavi* scribae, qui jam fol. 105 adnotavit se pro fratre Josepho exarasse illam paginam psalterii: † азъ грѣшныи Бѣлославъ, грѣшнъї (sic) и дръзы на зло, а на добро лѣнивъїи, емоуже ѡтечъст'во гробъ, а б҃гатъство грѣси а҃ блѫдъ. попнсахъ бра҃тоу иѡсифоу страницѫ ѿ ѱалтырѣ. Слава вѣкы амин.

At quod minime exspectes, f. 157, in expositione psalmi 96 librarius, quasi oblitus quid agat, cyrillice coeptum continuat glagolitice eleganter et expedite scribere per tres lineas: мѣнитъ бо ж богы *а не сѫщъ б҃ѕи. тои бо всѣмъ г҃ъ. и б҃ъ истиненъ.* В*ѣроу*вавъшии. Non solum inclinata hic a nobis in codice scribuntur glagoliticis litteris, sed ipsius ultimae vocis вѣроувавъшии litterae *ѣроу* et *а* glagoliticae sunt in medio cyrillicarum! Habes igitur in hoc codice argumentum luculentissimum, Bulgaris alphabetum glagoliticum fuisse *familiare* et quasi *domesticum*, utpote in quod relabantur cum commodiores sint et minus attenti. Adde, nisi jam Clozianum et Assemanianum codicem haberemus, sine dubio longe antiquiores seculo XIII, etiam in hoc Bononiensi cyrilliano exhiberi expeditam glagoliticam scripturam A. 1185 — 1195, ergo semiseculo fere antiquiorem psalterio Nicolai Arbensis A. 1222, quod Dobrovins vix non pro primo periculo recens excogitati alphabeti glagolitici videbatur velle insinuare!

Sed male nos intelligunt illi, qui cum causidico Polono *Maciejowsko* putant nos *liturgiam* slavicam glagolitice exaratam somniare ante S. Methodium! Minime nos adeo ignari sumus historiae, sed *liturgiam*, id est *missam*, statuimus *latinam* fuisse in his regionibus, sicut *hodiedum* adhuc viget per omnem occidentem et novum mundum *catholicum*; hoc tantum dicimus, Methodium privatis de causis *coepisse λειτουργεῖν* slavice librosque concinnasse lingua quidem slavica suae dioeceseos pannonicae, sed *a se discipulisque* exaratos utcumque alphabeto sibi commodiori *graeceslavico* a fratre *quondam* suo Cyrillo combinato e graeco et glagolitico, sed postea liturgiae longe gratissimae apographa reliqua ab *ipsis Slavis* in Bulgaria et Macedonia, Croatia, Istria et Dalmatia exarata fuisse alphabeto itidem sibi consueto pure *Slavico*, id est *glagolitico*. Testes sunt codices glagolitici *Clozianus* et *Assemanianus*, et ex parte etiam Bononiensis. Longe recentior est victoria et triumphus cyrilliani alphabeti *cis* Danubium, non citra acidiae peccatum Romanae ecclesiae. At quae tandem subita est rabies *Occidentalium*, sive catholici fuerint sive protestantes, qui ante Lutherum liturgiam vernaculam ne somniavere quidem, nunc in omni populo recens baptizato quaerere *liturgiam* vernaculam? *Fides* ex evangelio privatim docetur et in ecclesia praedicatur vernacule, sacramenta quoque magnam partem administrantur

vernacule: sed liturgia altioris est indaginis. Nonne ipsa *Latina* ecclesia certo tempore *τρισάγιον graece* cantat, itemque Slavica *χερουβικόν*? Imo nonne Alexander I. Imperator cum Synodo 1816 sponte confessus est Societati Biblicae, linguam slavicam Russis non intelligi, nisi doctis? Nonne idem ipsissimum constat de lingua liturgica graeca, syra, armena et coptica. Nonne ergo vos omnes, qui Latinorum vicem doletis, in eadem plane consistitis ipsi? — Aut igitur cessent dolere, quod ipsi patiuntur, aut cum Protestantibus *λειτουργείτωσαν* suo periculo *vere* vernacule.

Ceterum textus psalterii necessario propius abest a codicibus glagoliticis, quam recens Russorum vulgata, inveniasque in eo vocabula сиъіти pro тоуне aut всоуе, собота, етеръ pro нѣкїй: at vero et puros bulgarismos ut ψалмосъ pro psalmo *hoc*, есме *sumus*, imo et quoad litterarum formas occurrit оі pro ю: еда ıамъ мѧса оıнча = юнча. Denique tam hujus, quam Assemaniani codicis, de quo mox dicemus, et plurimorum codd. Slav. pulcherrima *διάγραφα* habes in clarissimi Silvestri „Paléographie universelle” recens publicata Parisiis.

8.

De Evangelistario Vaticano glagolitico (sec. XI), ab Assemano 1736 reportato Hierosolymis.

Jam primum omnium dicendum putamus, esse glagolitam Assemanianum familiae *Bulgaricae*, quum contra Clozianus *Serbicae* sit, sive, quod idem est, *Croaticae*. Discrimen harum familiarum in eo maxime situm est, quod familia croatica ск ante ѣ mutat in сц: на прѣстолѣ хероувимьсцѣмъ a nominativo хероувимьскъій, plane sicut к solum in ц: а рѣка, въ рѣцѣ; bulgarica contra к quidem solum itidem in ц, at ск non in сц, sed in ст: на прѣстолѣ хероувимстѣмъ, apud Carniolos quidem familiari *loquendi*, sed nonnisi apud Bohemos etiam *scribendi* more. Male nos Glagolitae Cloziani pag. 53. antequam hunc codicem et Bononiensem vidissemus, putaramus, litterarum ск in сц mutationem esse characteristicam codicum *cisdanubianorum* in genere, cum nonnisi in *specie* sit characteristica familiae Serbicae seu Croaticae, at contra ск in ст commutatio familiae bulgaricae cum russica communis est. Carantanorum antiquam ignoramus pronuntiationem, at hodierna familiaris et domestica concordat cum bulgarica. Habemus itaque in Glagolitis Cloziano et Assemaniano familiae tam serbicae quam bulgaricae codices longe antiquissimos supparesque Russicae familiae codici Ostromiriano cisdanubianos, *glagolitico* charactere exaratos pro *graeci* ritus Slavis. Nonne ergo sat probabilis hinc sponte se quasi vel invito tibi obtrudit conjectura, Slavos cisdanubianos *ante* S. Cyrillum *habuisse* et ad *civilem*

usum adhibuisse litteras glagoliticas, sicut Germani ad usum *civilem* latinas, sed Cyrillum pro sua *ipsius* commoditate ex illorum alphabeto nonnisi trientem (glagoliticam etiam nunc originem suam sat luculente praeferentem, sufficiat unum exempli causa Ю quod nonnisi JV latinum et copulatum glagoliticum est) adoptasse, reliqui bessis loco retentis commodioribus *sibi* graecis litteris simplicibus, aequivalentibus totidem simplicibus slavis: at Slavos ipsos eadem commoditatis sed *suae* lege ductos primitus ex asse suum alphabetum integrum intulisse etiam in libros sacros, et nonnisi confirmato tandem inveteratoque ecclesiarum utriusque Romae schismate pedetentim graeci ritus Slavos graecissantem Cyrillianam scripturam adoptasse, glagolitica, antea utrisque communi, latini ritus Slavis relicta. Sed haec indigitasse sufficiat novae in litteratura Slavorum cisdanubianorum lucis crepuscula.

Ceterum codex hic Assemanianus Cloziani alphabetum uno elemento auget, nimirum Θ, quod, sicut jam Clozianus Ф, graeca plane figura repraesentat. Sed deest in hoc etiam amplissimo codice signum respondens cyrillianae combinationi ꙗ; semper enim et hic, sicut Clozianus pro eo scribit ѣ cum aliis Bulgaris, etiam cyrillianis, aut simplex a: доуша моѣ aut моа; чловѣкъ ѣръ pro ꙗръ, авн pro ꙗвн, ако pro ꙗко; ut nil dicamus de ѥ, pro quo glagolita nil habet nisi e: мое pro моѥ. Sed confirmatur quaterniones signandi modus Clozianus; nam et in Assemaniano codice signatura eorum itidem notatur in superiori margine; adeo ut Cloziani м҃б revera 62[di] quaternionis sit consignatio, Assemaniano nunc luculentissimo teste accedente. Specimen scripturae habes in nostro Glagolita Cloziano Tab. I, et accuratius etiam in *Silvestri* Paléographie universelle, Paris 1839. f.

Nunc operae pretium nos facturos existimamus ex eodem codice publicato interea multiplicis usus synaxario, (comparando cum Ostromiriano), litteris e defectu glagoliticarum totidem cyrillianis, quod ipsum evidentissimum esto argumentum utriusque alphabeti *ταυτότητος*, nobis quidem glagolitico cis Danubium nato et temporis et originis prioratum vindicantibus contra adversarios praesentis potentiae splendore occoecatos.

F. 112. Начѧтокъ мѣсѧцемъ имѫщ слоужбѫ ст҃ымъ.

мѣ҃ Септѧб. 2. Июльѣна, Филипа и Теодотиѧ (sic).
— 3. Ст҃лѣ мѫченика Антима и Василиѧ.
— 4. (aliter quam Assemanus): ст҃ыхъ м҃. въ авидѣ неремионн и теодорѣ и ст҃оумоу пророкоу мисеоти.
— 5. S. Joannis praecursoris baptistae.
— 6. Архангла Михаила. (primum antiqua, alterum recenti manu).

мѣ Септѧб. 8. Родство стꙑѩ гждѧ бцѧ.
— 12. Корната еппа конска (Iconiensis). литострата, габбата.
— 15. Adest et Nicetas quem omisit Assemanus.
— 17. S. Eulampii et aliorum (и инѣхъ).
— 25. Пафнота, genit. Hoc et similia Pannoniam sapiunt, ubi Antonius est Antôn, genit. Antôna; Russ. Antonij, gen.-ija.
Oct. 1. Ultimus est S. Romanus сътворшии пѣ сьвитчнаа.
— 2. Иустинꙑ дѣвꙑ. Nota у etiam glagolitae pro оу.
— 3. — ареопаꙉита. Nota ꙉ = glagolitico jod, quod nos g *italicum* putamus, aut potius ꙉ, i. e. dj, mollius etiam Serborum.
— 7. Мѫчение с. м. серꙉѣ и вакха.
— 11. Адика иссипа.
— 13. с. м. Папоула распа анавла et sociorum. Fallit Assemanus.
— 21. с. м. гасиѣ, тасиѣ (sic) и зотика.
— 25. — и Мартоурия, въ солоунѣ. оуара.
— 30. Зинова и зиновиѩ сестрꙑ его.
Nov. (Ноѩб.) Стоую чюдотворцю безмездьникоу козмꙑ и дамиана. Sequitur Initialis .V. picta cum capitibus inscriptis cyrillice coaeve SS. Козмас ке дамианъ.
— 7. с. м. Антона.
— 8. Сьнемъ (σύναξις) арх. Михаила.
— 11. — и викента.
— 17. Глигориа (sic).
— 20. Ѳенада. Максимина. Анатоліѣ. Глигора (sic).
— 25. С. Климента папежа (en vocis formam bavaricam) римска.
— 26. с. м. екатеринꙑ и сщение с. Ѳеорꙉиа.
— 30. Апла Андреѩ (sic).
Декѧб. 6. Николꙑ.
— 9. Зачѧтие с. аннꙑ бцѫ (sic).
— 13. Евсесита (sic, pro авксента); евꙉена. мрьдара.
— 14. Аполона.
— 27. Стꙑхъ младънецъ (sic).
Енуара. 1. обрѣзание осмодьневное г. н. ісха. 2. свѧтаго селивестра папежа римска.
— 25. Глигора богословца еппа бꙑвш. наизианзии. Ананіѩ прозвутера и петра клучарѣ.
— 30. Обрѣтеніе чс̑нъихъ (sic) мощии св. климента папежа римска. (cf. Assemanum ad hunc diem).
Феврара. 14. Стааго оца нашего курила философа. Еванꙉ. quod 6. Dec. въслѣдъ ісa идѫ народъ.
— 16. Порфила cf. Assemanum.
Aprilis 6. И памѧтъ оусьпѣниѣ прѣподобнаго оца нашего меѳодиа

архиеп҃па вышнѧѩ моравы, брата прѣподобнаго курила философа. Еванђ. 2. Sept. (Ego sum janua).

Jun. 11. Варѳоломеа и Варнавы.

— 15. Вита и модеста пѣстоуна его, и кр҃станицѧ бабы его.

— 24. Рождьство иоана кр҃стителѣ.

— 29. св. връховнюю ап҃лоу Петра и Павла. (Evangelium habet felicissime: ты еси петръ, и на семъ петрѣ.).

Iюлѣ. 7. Еустата. полукарпа и еуваѓѣ.

— 11. Ефимиѩ.

— — Сьнмъ ст҃ыхъ оп҃ь.

— 27. св. Пантелеимона м҃ка, и ст҃аго ст҃лѣ оц҃а наш. Климента еп҃скпа Величскаго. Evang. 2. Sept.

Августа 20. Ап҃ла тадѣа. самоилѣ.

— 29. Памѧтъ ст҃ымъ иже на строумници: тимотею, теодороу, евстовию и дроужинѣ ихъ. и ст҃ѣ теодорѣ солоунѣнъıни, Evang. Luc. de resuscitato.

— 30 Филонда (non, ut Assemani habet, Philonida).

— 31. въ ст҃ѣ крабии (in scrinio Chalcoprat.).

Vides hic plures Sanctos proprios Bulgaris, inter quos Cyrillum, Methodium, et praeter Clementem Romanum alium Clementem Velicensem episcopum, cujus vita graece edita 1802 Vindobonae inter fontes reputatur historiae conversionis Moravorum, Pannonum et Bulgarorum. Ceterum scito nos e codice Vaticano synaxarii nonnisi illam partem ad verbum excerpsisse, ubi Assemanum videbamus dormitasse.

Titulus codicis est vix legibilis: Евангеліе ізборное, qui τὸ Εὐαγγέλιον ἐκλογάδιν graecorum medii aevi reddit ad verbum; itaque plane gemellum ostromiriani. Textus est sine dubio antiquissimus, ut ipsa *παρορἁματα primi* interpretis къ диинѣ = πρὸς τὸν δεῖνα, aut клеплѧ = σημαίνων etc. demonstrant; orthographia, confundens usum ь et ъ satis ostendit, Bulgaris horum elementorum subtilitates fuisse obscuras aut indifferentes: at nunquam videas confusa ѧ et ж aut jotatas ѩ et ѭ ut in codice cyrilliano Bononiensi. Respectu grammatico liceat obiter notasse 1) ignotam plane *Dobrovio* praeteriti formationem ope S litterae (cf. *Grimmii* gramm. I, 1057), qualis jam in Cloziano lin. 781 възнѣсѧ et 840 процвисѧ obvenerat nobis tunc nondum intellecta, non solum ex Assemaniano glagolitico, sed et Bononiensi cyrilliano codice illustrari et augeri luculentississime. Cape exempla: а ѩти habes ѩсѧ cepere, et composita: обѧсѧ, възѧсѧ; приѩсъ accepi, приѩсомъ accepimus; sic et чисѧ legerunt, а чисти; распѧсѧ crucifixere а распѧти, ꙗсѧ (Ass. ѣсѧ) manducarunt, а ꙗсти, съблюсъ custodivi, съблюсѧ custodierunt, а съблюсти: sed а вести habes привѣсъ adduxi, а нести нѣсѧ, ab ѡвръсти: ѡврѣсѧ, notabili brevium е et ъ in ѣ conversione, et а пробости bis diserte пробасѧ transfixere.

Quam quidem vetustissimam praeteriti formam, si *Dobrovio* in codd. Russ. obvenisset unquam, ille certe non tacuisset. Quodsi nec *Vostocovius* protulerit cum Ostromiro suo, sive ex hoc ipso sive aliunde petitam, nae gratulandum erit Cisdanubianis codicibus, quibus solis debeatur haec vix sperata praeteriti forma, graecae latinaeque soror, simul illustrans egregie *solitarium* antea et quasi *antediluvianum* бъıсть (ἐγένετο). — Adde et *contractiones*, similes Clozianae сѣдомъ 350, quam erroris nos falso damnasse nunc videmus: идомъ, придомъ, обрѣтомъ, възмогомъ; вѣсѧ ductus est, погресѧ ἐτάφη, imo et погрети (sic) sepelire, et 3 plur. облѣшѧ, съвлѣшѧ, смѧшѧсѧ, отъвѣшѧ и рѣшѧ, quorum nonnisi ultimum norat Dobrovius, sed aliter explicat Inst. 541, quam fortasse fecisset, si nostra exempla novisset. 2) Formulas vocum Italicam illius aevi originem referentes esse in utroque codice sat frequentes, ut цѣсарь, олѣи, ливра (cęsar, oleum, libra). 3) сотона etiam habent cum Cloziano et Monacensibus, pro сатана hodierno redacto ad peregrinam formam, contra linguae genium, ac si quis e *Rim* vellet restituere *Romam.* 4) Л epentheticum saepius fere negligunt quam habent, praesertim ante и et ѭ et енъ; землѣ nom. et gen. землѧ, sed fere semper земи dat., възлюбѭ. 5) pro потьпѣга Cloziani habet подъпѣга Assemanianus. 6) Sed maxime in hoc se monstrat aliquanto recentiorem Cloziano Assemanianus, quod subinde e vulgari bulgarica admittit денетъ (ἡμέρα ἐκείνη) pro день тъ, работъ pro рабъ тъ ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, народось pro народъ сь ὁ ὄχλος οὗτος, quin et лежитось κεῖται οὗτος pro лежитъ сь; redeuntibus nempe euphoniae causa plenioribus et veteribus sonis є et о in vicem semivocalium, mutarum ь et ъ, quae alioquin de regula adeo de die in diem magis obmutuere, ut vel in media linea, sine compendii excusatione, vel omittantur vel scribantur sine discrimine. 7) Quid quod Bononiensis jam тоговъ habet pronomen possessivum: съ нимже кто живетъ, тоговоу житию подобитъсѧ, (cum quo quis vixerit, ejus vitae assimilabitur).

Quae cyrillico charactere notata sunt in codice, sunt ea manu rudissima exarata multo recentiori cujuscunque demum попъ кравоносъ, qui fol. 46 inter ambas codicis columnas rubrica notavit: опапасъ иоанн кравоноси писа евангеліе сие. Cave tamen credas, cum Caramano, esse subscriptionem librarii; sed est, ut millena talia in codd. periculum pennae otiosi aut vani codicis tractatoris; ut in ipso hoc nostro f. 76. азь попь стань писахъ manu rudi serbica et recenti; imo et manu antiqua f. 93. ги іу хе сне бжіі помагаи рабоу своюмоу. Nunquam τοῦ παπᾶ Joannis Vacciferi (кравоносъ enim est Vaccifer) miloniana manus tam nitidum codicem scripsisset, ipsaque haec nota toto coelo distat ab inscriptionibus imaguncularum cyrillicis, coaevis glagoliticis in ipso hoc

codice, vixque indigemus illius computo diei et noctis per singulos menses longitudinis, ut codicem in Macedonia scriptum credamus, cum idem ipsum glagoliticum synaxarium abunde testetur. Sed sunt nonnullae initiales litterae glagoliticae majusculae figuratae, quae imagines Sanctorum repraesentant, ut habes in Specimine Cloziani Christum et Coecum, alibi f. 78 Christum e Lazarum, Cosmam et Damianum inscriptos cyrillice a manu, ut videtur, coaeva, ut adeo et hinc videas, quam fuerit olim *omnibus* Cisdanubianis familiaris usus utriusque alphabeti.

9.

De psalterio Ruthenico semi-tironiano.

Meminerat jam summus *Dobrovius* Instit. p. XIII. hujus psalterii e Caramani et Bobrovii notitiis, sed nesciebamus cujus familiae esset. Audi ps. 10: на га҃ оуповахъ како речете дш҃і моѥі, превітай по горамъ, акі птіцѩ ѥко се грѣшніці напрягоша л8къ etc. Agnoscis ruthenicae familiae sec. XIV—XV. psalterium (vel ex л8къ напрягоша), compendiatum novo stenographiae exemplo; nam librarius cyrillicas litteras compendii causa dimidiat, pro и nonnisi і scribens; sic et reliquae cujusque litterae nonnisi partem accipit, aut minori figura superscribit; ita tamen temperans compendium, ut facile quisque brevi dispiciat hominis finem et methodum; est ergo Tiro slavicus in herbis tantum.

10.

De Manassis chronico metrico (versu politico exarato graece) oratione soluta verso bulgarice, ex parte vetustissimo bulgaricae vulgaris monumento sec. XIV medii in codice Vaticano.

Codicem ipsum jam olim descripsit Assemanus, Kalend. Eccl. Univ. Tomo V. et novissime doctissimus P. J. Szafarzyk (alias Schaffarik), in opere recentissimo bohemice scripto antiquitatum slavicarum (historicarum) et in chronographo Musei boh. 1837, p. 364, ut adeo nobis vix restet aliud nisi exempla dare textus bulgarici; id quod en facimus lubentes.

Manassis metrici versio prosaica sic satis imitatur linguam ecclesiasticam familiae bulgaricae recentioris *); sed ubi ad Trojae excidium

*) Non Serbicae, ut perperam dicit auctor Polonorussus catalogi Codd. Slavicorum apud A. Mai, Auct. Vett. novae Collectionis in 4. Tom. III.

devenit auctor bulgarus, aegre tulit graeculi byzantini audaciam Homerum correcturientis, inseruitque nescio ex quo fonte historiam trojanam medii aevi, putes e bohemico aut polonico aut hungarico ore exceptam, cum Оилоушъ vocetur Oileus, sicque reliqui Дарданоушъ, Троилоушъ, хилемъ est Helm (cassis), Оурекшишъ Ulysses, Лертѣшевичъ Laertiades, попъ калкашъ est Calchas, тенты sunt tentoria (les *tentes* gall.), ацилеешъ est Achilles, рижеоушъ et Арижеоушъ попъ Chryses, тебоухъ богъ est Phoebus, менелаоушъ, потроколоушъ agnoscas; faber калканоушъ (Vulcanus) trecentos habet *parvos diabolos* sub se; Priamus adit Achillem habitu coeci joculatoris cum fidibus (гѫсли); ѩкоупа est Hecuba; дневошькордїа est Discordia dea; юнаа, палешъ et веноуша coram Алеѯандръ qui et паріс, certant de forma; heroes non curru vehuntur sed equo (на фарижохъ) etc. Tandem Helena capta cum Paride et reprehensa a priori marito, culpam suam in ipsum Menelaum rejicit, quippe qui stulte se solam cum solo juvene reliquisset: at ille, ne iterum fallatur, et illam et Paridem obtruncat.

Sicque finitur haec insertio. Incipit autem a conditu Trojae sic: Повѣсти о извѣствованіихъ вещей, еже о кралехъ прич҃ѧ и о рождениихъ и прѣбыванїихъ (historiae de notitiis rerum, id est de regibus incipiendo et de genealogiis et de habitationibus). Sed hactenus de auctario Manassis bulgarico ex ignoto fonte, conferendo fortasse cum codice Russico sec. XV, qui dicitur apographum codicis bulgarici adornati pro rege Symeone c. 888, cujusque Specimen habes in Kalajdovičii Joanne Exarcho. De Manasse metrico, verso prosa, sufficiet addidisse, in Helenae descriptione vix dimidiam partem epithetorum verti: бѣже жена прѣкрасна, големоока, и акы снѣгъ бѣла и даровъ испльнена множьствомъ сѫщи. видѣ оубо сїѫ Алеѯандръ etc.

Picturae codicis *eaedem* fere sunt omnium gentium, ideoque minime singularum. Frustra pariter exspectes *domesticam* historiam in iis, quae rubrica librarius addidit suo Manassi; sunt enim excerpta ex aliis Byzantinis, sine omni anctoritate domestica; ut adeo condonandus potius sit quam gratulandus Szafarzyki cupidior de amici Palackii communicatis iis rubricis triumphus. Magis amica Veritas!

11.

De tabulis bulgaricis, quae in Propagandae Catalogo indicantur sic: (libri) „BULGARI.

Stanislaron, (pro Stanislavov), Philippus, Episcopus Nicopolitanus. Preces quaedam sine anno, et in folio, ut ajunt, aperto."

Sunt tabulae quinque cum iconibus, quales Serbi habent ex integro xylographas, hic autem „Nicopolitanus magnae Bulgariae Episco-

pus", Romae imprimi curavit, et puto mercedis causa aliquot exemplaria typographo reliquit. En exemplum e Tab. I. Sub xylographo tolerabili S. Trinitatis coronantis B. M. V. legis *primo:* † похвала цеастнѡмоу Карстȣ и Троици нераслацене: Карстȣ тȣвѡнемȣ цеастнѡмȣ etc. (Laudes venerandae Crucis et Trinitatis indivisibilis etc.); *secundo*: Сие имена Гѡспѡдни, кои их нѡсит при себе цистѡм сарцем, и бистрѡм паметим, бѡнештесе бѡга, далговецни бȣдет на земли. (Haec nomina Domini qui gestat secum puro corde et limpida memoria, timens Deum, longaevus erit in terra). Ecce puto plusquam satis ad cognoscendum graeculi ridicule corrumpentis linguam bulgaricam ingenium *ἀγυρτικόν*. Audiamus joci causa illius epilogum e tabula quinta fidelissime transscriptum: Иако псела ѿ разликѡ и благѡ диханиѡ (sic) цветние сбира мет, иѡсак сице, Филип Станиславѡвф ѡд велике Бȣгларие Бискȣп, сабра и свади ѿ раслики Гниги Сбети Ѻтци саборни ови Абагар *), и хариса свȣѡнемȣ нарѡдȣ Балгарскѡмȣ, да при себе нѡсенȣ, на местѡ силни мѡшти. Типарѡсан би А б а г а р ѡви, ва Летѡ Христѡвѡ А. Х. и. А. Мана на ѕ҃. ȣ Свети Град, де поциванȣ теллеса П е т р а и П а в л а, ва Време Цара нашега Ибрахима, а ȣ ȣлашкȣ цаститѡга Матие Вȣѡивȣѡдȣ и ȣ Богданскȣ благѡмирнѡга Лȣпȣла нарицаемагѡ Василие Вȣѡивѡда. Ва век хфаленѡ и, славенѡ Теллѡ Христовѡ. Иеȣсе и Мариѡ, вами харизȣием Сарце и Дȣшȣ мȣѡиȣ. М. Б. З. М. Г. Амин. (Sicut apis de variis et bene olentibus floribus colligit mel et ceram sic Philippus Stanislai filius, de magna Bulgaria Episcopus, collegit et extraxit de variis libris Sanctorum Ecclesiae Patrum hunc *Abagarum*, et donavit suae nationi Bulgaricae, ut secum gestent loco potentium reliquiarum. Impressus fuit Abagarius hic a. Chr. M. DC. et I. Maji VI, in Urbe sancta, ubi requiescunt corpora Petri et Pauli, tempore Imperatoris nostri Ibrahimi, et in Valachia gloriosi Vojevodae Matthaei, et in Moldavia pacifici Lupi Vojevodae. In aeternum laudatum et glorificatum Corpus Christi. Jesu et Maria, vobis dono cor et animam meam. Ora Deum pro me peccatore. Amen).

12.

De Catechismi quinque linguis editi exemplari Vaticano unico.

Mirum est, quam multi libri in ipsa Europa impressi et quingenties aut millies per tot bibliothecas diditi sine vestigio videantur trans-

*) En nomen talium tabularum: абагаръ, frustra quaeras in Russorum omnibus lexicis, sed est ab *Abagaro* seu *Abgaro* regulo, cujus etiam ad Christum epistolam etc. hic habes.

iisse. En nos ipsi, huic venationi minime intenti, jam nunc tertii libri olim ultra mille fortasse exempla publicati exemplar unicum, quod supersit, indicamus. *Primum* nempe fuit ultimo affine, eodemque fere tempore et eodem loco, eodemque nisi fallimur auctore editum opus carniolanum, versio scilicet postillae Spangenbergianae, impressa Ratisbonae 1567. 4., in Caesarea bibliotheca Vindobonensi superstes. *Secundum* P. *Somaripa* capucini Dittionario Italiano et *Schiavo*, Udine 1607. 12., a nobis praeter exspectationem emtum in auctione publica Vindobonae et e nostra donatione cum reliqua bibliotheca Zoisiana nunc in Bibliotheca Lycei Labac. servatum. *Tertium* denique nunc indicamus a nobis primum visum Romae in Vaticana, omnium bibliothecarum regina.

OTROZHIA BIBLIA.

ein Handtbüchlein, darinn ist unter andernn der Catechismus Von fünfferley sprachen.

Deuteronomij na VI.

Inu te beſéde, katére tebi danaſ
sapovém, bodeſh vtvojem ſèrcu hranil:
inu ije Otrokom tuoim oſtril, inu od
nijh govoril, ſedézh doma vhiſhi tuoij,
alli po potu gredézh: kadar leſheſh inu vſtaneſh.

Anno M. D. LXVI. 8.

(In fine operis: Drukanu v*Regenspurgi*, ſkusi Joannesa Burgera.) Fol. 1. verso: Catechismus quinque linguarum *), pagg. 59. Regulae vitae christianae, pagg. 10. Antithesis papisticae et Evangelicae fidei, p. 59. Quaterni operis signantur A — H 3.

Est ergo, ut tunc erant, abecedarium lutheranum pro juventute illius aevi Protestantium Carnioliae et Istriae. Fol. 2. exhibetur Abecedarium Slavonicum signaculis quidem latinis, addita tamen nomenclatura elementorum nationali: As, buki, vidi etc., ut habes ex Postilla a. 1567 in nostra grammatica Carniolana, Labaci 1808, p. 419.

Monet tamen expertus sine dubio magister (Stephan. Consul? Sebast. Crell?), ne BOG e. g. secundum nomina singularum litterarum syllabizetur sic: *buki on glagolie*, sed (B-o-g), „sicut Latini et Germani faciunt." Et est hodiedum haec maxima crux ludimagistrorum *orthodoxorum*, qui Slavonico alphabeto utuntur; semper puer syllabizans ма-тн per мыслѣте, азъ, efferet primam маз, et magister furere, circumspicere virgas puerque trepidare! Quare sapientissime ipsi jam Russi adoptavere „Latinorum et Germanorum methodum"; at nondum Illyrii, quamvis jam, ut vides, a populari moniti Ratisbonae A. 1566!

---

*) Nota Ms. addit: Crainiſch, Krabatiſch, Teutſch, Latiniſch, Italianiſch.

Post Abecedarium sequitur Catechismus: Sazhétak Katechisma Kranſkiga.

OZHA VPRASHA. (i. e. pater interrogat).

DETE ODGOVARIA. (Infans respondet).

Ozha:

Kai ſi ti moie dete? (Quid es tu mi infans)

Déte:

Jeſt ſam en Christian. etc. partim latinis, partim germanicis litteris continuatur Catechismus Carn. per 8 folia, concluditurque cantilena, (na to vſi sèrcom poimo):

Ne dai Ozha naſh lubi Bog

Da bi od naſ ſe vsel tvoy uk,

Saterri Turka, Papesha,

Kyr saſhpotuio Iesuſa etc. per quatuor strophas. —

Carniolanum excipit Catechismus *Croaticus* (illyricus):

OTAC ISPITUE,

DIITE ODGOVARA etc. sine cantilena. Hunc reliqui tres supra notati.

Opus quinquelingue Carniolanos praecipue fovet; nam et in fine per 67 paginas illorum tantum dialecto additur: Boshie poſtave inu porozhenia, Kako ima vſakateri vſvoiem ſtanu inu poklicaniu Karſhanſku tèr poſhtenu shiveti (i. e. Divina praecepta et mandata, quomodo omnis homo debeat in suo statu et vocatione christiane et honeste vivere), clauditurque iterum cantilena 12 stropharum senorum versuum. Inscripto nomine *Mathiae Flaccii Illyrici*, qui hoc volumen, cui et Catechismus glagoliticus 1561 adhaeret, donavit Achilli Pyrm. Gassero Lindav. 1566.

13.

De linguae S. Methodii liturgicae pannonietate.

Triumphant adversarii nostri, quod nos *soli* stare videamur pro Slavorum linguae sacrae pannonietate, obtenduntque nobis contrariam summorum in hac re virorum auctoritatem, olim *Dobrovii*, nunc *Vostokovii* (vide Schaffarik Antiq. Slavicarum bohemice scriptarum p. 824). Quamquam, ubi *rationibus* et *argumentis* res agitur, vel maximarum auctoritatum non sufficiat auctoritas, liceatque aliter ex animo sentienti sequi celebris hac ipsa constantia in Gallis viri exemplum dicentis: Etsi omnes, ego non: malumus tamen praeprimis hunc ipsum adversariorum triumphum cominus examinare, justusne sit, an potius ut alia pleraque ab his *αὐθάδεσιν* arrogatus et ementitus.

Ac *Dobrovius* quidem ipse, dum *integer* et sine ira et studio rem examinasset, Slavis pannoniis *sponte* detulit linguae sacrae origines (v. Slovanka A. 1814, I, 74), nec nisi fatigatus dolosorum hominum pro illius gloria, ut dicebant, zelantium obsessionibus in nescio quam eremum linguae nondum commixtae serbobulgaromacedonicae (audis Aristophanem) *εἴρων* avolavit indicta causa; quod si fecisset *pro* nobis, illi non pepercissent seniculi famae; nobis interea licebit Dobrovium vigentem et liberum et integrum anni 1814 opponere Dobrovio seni circumvento aut *εἴρωνι* anni 1823. Quid quod ipse *Jacobus Grimm*, etsi commotus aenigmatico Dobrovii strategemate et ipse fuerit labefactatus quoad pannonietatem, tamen novum majusque facinus admisit in Cyrillianos, palma longe remotioris antiquitatis litteris glagoliticis ultro delata! At quod attinet *Vostokovium*, injuria illum pro suo numerant adversarii; nam is nonnisi Kalajdovitschii *Moravis* praefert Bulgaros, de Pannoniis nondum, quod sciamus, pronunciavit. Imo si illius recensionem *Suprasliensis* codicis sec. XI. audias, non eum longe abesse dices a Pannonia; nam *occidentales* Slavi, pro quibus putat codicem exaratum cum declinatione коѥга pro коѥго non alii sunt quam Carantani pannonii: nec, puto, negabit etiam seculo IX, ad usum *ducentenorum* clericorum, qui teste biographo S. Clementis Velicensis, S. Methodio per triginta annos ministri et adjutores adfuere in Pannonia, fuisse exaratos complures librorum sacrorum, ponamus ad minimum viginti, codices, quorum unum alterumve superesse adhuc inveniendum non desperamus, argumentum pannonietatis nostrae *extrinsecum* futurum suo tempore, contentique sumus interea et securi *intrinsecis*, qualia (omissis brevitatis causa aliis plurimis, nobis quidem aeque certis, at adversariorum cavillationibus impetitis), *invicta* habemus *oltar*, *papesh*, *mnih*, *chrestiti*, et *komkanje* linguae sacrae vocabula, *graeco* catechetae plane impossibilia, *germanico* contra monacho innata et domestica et vix non necessaria: Altar, Papst, Münch, christen, *communicare*. Imo ipse antiquissimus Russorum Novogrodensis codex Ostromirianus A. 1057 (utinam jam totus extaret publici juris) in Calendario suo aperta certaque prodit vestigia pannonici unde descriptus fuit sive *ἐμμέσως* sive *ἀμέσως* archegraphi in die festo S. Silvestri ex usu Romanae ecclesiae, et versione капетоулꙗ ихъ facta e latini textus *Capitoleorum* genitivo, id quod jam monstravimus in Glagolita Cloziano, quodque sat perplexum habet doctissimum Schaffarikum (Antiq. Slav. p. 822), nequidquam provocantem ad *μακρὸν χρόνον*, quo quidem potuit probabiliter interpolari festum S. Cyrilli, at non aeque invehi in media Russia Romanae ecclesiae dies S. Silvestri festus alius quam ecclesiae graecae, nec latinismus капетоулꙗ ихъ.

Omnium tandem ridiculissimum simul et iniquissimum est, quod

praetendunt adversarii, longe plures superesse bulgaricos codices antiquos, quam aut glagoliticos aut, si Diis placet, pannonicos; *ideoque* veriorem esse originem bulgaricam, quam aut pannonicam aut carantanicam. Quis enim non videt, litteraturae bulgaricae, quae non solum *recentior* est pannonica, sed etiam felicissime et laetissime florebat per quattuor integra secula, facile et quasi necessario plura exstare monumenta quam antiquioris pannonicae quae vix nata prima jam aetate partim conculcata fuit in patria per barbarorum irruptionem, partim expulsa. At quod *glagoliticam* attinet litteraturam, nae uni duo codices Clozianus et Assemanianus omnibus fortasse cyrillicis antiquiorem linguae statum nobis conservarunt, ut monstravimus supra, quum ex illis de praeterito ope S formato exempla Dobrovio non visa in cyrillicis, adduximus. Utinamque confirmetur brevi indicium, in Anglia servari reliquum codicem totum Frangepanianum, cujus Clozianus est fragmentum.

14.

De *theatro* apostolicorum SS. fratrum Cyrilli et Methodii laborum.

Cum videamus, sic de repente, diversissimis et locis et linguis, tam e Petropoli quam e Londino *) nobis occini SS. Cyrilli et Methodii in Slavorum „*paganias*“ incredibilem conniventiam et liberalitatem, *hincque* graeco, ut illi quidem credunt, ritui omnem, qua late patet, Slaviam certatim accurrisse, baptizandam a Peloponneso usque ad mare glaciale, inclusis ipsis Carantanis, Moravis, Bohemis, Polonisque; imo cum eadem optio non daretur, ipsis Polabis et Obotritis malentibus mori quam manus dare ritui latino **), quis jure nobis succenseat, si tam impudenti commento testem opposuerimus Historiam?

Dicunt illi nugatores *Stredoviani* ***): nobile hoc par fratrum non solum Chazaros omnes traduxisse ad Christi fidem (quamquam ipse Stredovii vix non fautor Dobrovius sponte fateatur, nulla nec tunc nec postea Christianismi vestigia apparere in historia Chazarorum), sed et coeptum plusquam duobus ante se seculis at lentius serpentem christianismum Slavorum per Thraciam, Macedoniam, Thraciam, Bulgariam,

---

*) Imo prior Londini coepit Comes Valerianus *Krasinski* (Reform in Poland) 1838; secutus est Petropoli *Maciejowski* 1839, tertius demum in *Augustanis* ephemeridibus 1839, Nro. 139—141 germanice cecinit Ustrialovii prodromus anonymus eandem cantilenam; cui quidem responsum ibid Nr. 189.

**) Vid. Maciejowski I, p. 120—122 qui hac de causa ritui graeco dat nomen *slavici*, idque ineptissime, cum et ritus *latini* Glagolitae aeque sint Slavi ac Cyrilliani ritus *graeci*.

***) *Stredowsky*, presbyter *Moravus*, Solisbaci, 1710, 4. edidit historiam SS. Cyrilli et Methodii, plenam quidem »*zeli*, *sed non secundum scientiam*.«

Serbiam, Croatiam, Moraviam, Bohemiam, Poloniamque introducta (incertum, secundum illos, septimone an nono seculo sed obstetricante certo certius orientali ecclesia) liturgia slavica repente in immensum propagasse; sed postea hoc liberalitatis *graecae* ecclesiae beneficium, pontificum et imperatorum *romanorum* artificiis et vi, quoad ejus fieri potuerit, fuisse Slavis ereptum, planeque obliterandum, ni divinae providentiae nutu feliciter obstaret graecae ecclesiae vindex, novissimus catechumenus Russus!

Ac primo quidem minime negamus, Slavos *graeci* nunc ritus *numero* plures esse quam *latini;* idque praesenti Russorum maxime deberi *potentiae* et *solertiae*; neque nostrum est, vetera Poloniae aut Bohemiae aut Hungariae regum aut vel pontificum et imperatorum peccata Phrygum more *sero* sive excusare sive accusare; tantum *historiam* immortalium horum duumvirûm liceat integram servare ab illorum fabulosis amplificationibus.

Et Historiâ quidem teste S. Methodius, graecus sed adversarius Photii, fuit Archiepiscopus in ipsa urbe Roma ab Adriano PP. II. ordinatus A. 868 Pannoniensis et Moravensis ecclesiae, postea quam quatuor annis et dimidio cum fratre Cyrillo, sive sponte delatus sive a Slavis vocatus e Graecia, inter Moravos et Slavos pannonios, imo ex parte et inter contiguos utrisque Bulgaros fuisset versatus.

Fueratque simul cum Methodio in episcopum ordinatus major quoque natu frater Cyrillus, sed is morbo aut senio confectus mortuus est Romae, A. 868, 13. Febr. ita ut Methodius solus rediret in Pannoniam.

Volebat tunc Romanus Pontifex turbata tot barbarorum incursionibus, nunc pedetentim conversorum ad Christi fidem, per Illyricum ecclesiae suae jura postliminio restituere in integrum, ipsamque Pannoniam, cujus interea magnam partem a Carolo Magno Avaris ereptam papis non renuentibus Salisburgenses administrabant, auctam dubiae possessionis adjacente solo a Slavis occupato, ἀμέσως revindicare Romanae ecclesiae. Qua de re exstant luculenta sed minus cognita binarum A. 874 Joannis VIII. ad Ludovicum Bavariae regem, ejusque filium Carlomannum Pannoniae ducem epistolarum fragmenta: „*ut reddito nobis et restituto Pannoniensium episcopatu, liceat praedicto fratri nostro Methodio, qui illic a sede apostolica ordinatus est, secundum priscam consuetudinem libere, quae sunt episcopi, gerere.*“ Itemque tertia ejusdem anni epistola Croatarum princeps *Montimirus* admonetur, „*ut progenitorum suorum secutus morem, quantum possit, ad Pannoniensium reverti studeat dioecesim. Et quia illic jam, Deo gratias, a sede b. Petri apostoli episcopus ordinatus est, ad ipsius pastoralem recurrat sollicitudinem.*“ Aegre ferebant (nec immerito) Salisburgenses hanc suae dioeceseos deminutionem, exstatque eorum de hac injuria aequalis eaque

sat aspera querela in Anonymi libello de Conversione Carantanorum a nobis denuo edito ad vetustissimos bibliothecae Vindob. codices. Similemque querimoniam, quae tamen ad nos usque non pervenerit, fuisse Laureacensium episcoporum, quorum juris erat ducatus Maravensis, itidem nunc accisus per novum graecum archiepiscopum, aequum est suspicari e binis a. 900 de eadem re virulentis epistolis, metropolitani Moguntini et Bavariae episcoporum.

Quibus tu jurgiis putes impetitum *praesentem* Methodium graecum, cum nec papae pepercerint. Quare minime mirum est, etiam Methodium quaesisse malo remedium, idque facile popularissimum invenisse, in introducenda liturgia slavica, tanto statim adsensu excepta non solum a suae dioeceseos Slavis, sed et a vicinis Bulgaris, imo et Serbis Croatisque, ut cum brevi postea in patria sua Pannonia per Hungarorum vastitatem intercidisset, non solum servaretur ab australioribus his *utriusque* ritus Cisdanubianis, sed et A. 988 in ipsam Russiam propagaretur; quo factum est, ut etiam nunc universorum Slavorum major pars colat liturgiam Slavicam, non eam quidem sibi plene intellectam, utpote quae proprie dialectus Slavorum Pannoniae seculi IX fuerit, sed tamen sonantem slavice, ideoque multis nominibus nunquam non popularissimam futuram Slavis omnibus, sicut est graeca Graecis, aut Latinis latina.

Sed ad tempora S. Methodii redeamus. Audi quo animo tulerint Salisburgenses hanc intrusi Methodii novationem. „*Richbaldus, Juvavensis archipresbyter, multo tempore ibi (in Pannonia) commoratus est, exercens suum potestative officium, sicut illi licuit archiepiscopus suus, — usque dum quidam graecus, Methodius nomine, noviter inventis sclavinis litteris, linguam latinam doctrinamque romanam philosophice superducens vilescere fecit cuncto populo ex parte missas et evangelia ecclesiasticumque officium illorum, qui hoc latine celebrabant. Quod ille ferre non valens, sedem repetivit Juvavensem.*“ Et paulo infra: „*Sunt igitur* (ab A. 798) *anni LXXV, quod nullus episcopus alicubi veniens potestatem habuit in illo confinio nisi Salisburgenses rectores .... usque dum nova orta est doctrina Methodii philosophi.*“ Nec dubites, eos omnem movisse lapidem, ut intrusum graecum, licet papae clientem, exturbarent; hincque explices Johannis VIII praecitatas litteras a. 874 ad Ludovicum et Carlomannum pro Methodio. At mox denuo deferebant Methodium tanquam prave docentem, et missam canentem Slavina lingua; quod audiens Johannes VIII, non solum binis litteris (A. 878 et 879) inhibuit missam slavicam, jubens Methodium aut *graece* eam canere, aut *latine*, „*sicut ecclesia Dei toto terrarum orbe diffusa et in omnibus gentibus dilatata cantat*,“ sed et ipsum Methodium evocavit Romam. (Habes hic, erudite lector, non solum *negativum* argumentum omnis historiae altum silentis de liturgia Slavica *ante* S. Methodium Pannonien-

sem archiepiscopum, sed et Papae Johannis VIII (qualis et quanti testis!) *disertum* testimonium *inauditae* antehac toto terrarum *orbe liturgiae slavicae*)!

At aliter res cecidit Romae quam Salisburgenses speraverant. Non enim solum fidem suam, sed etiam, quod plus erat, ipsam liturgiae slavicae novitatem papae probavit Archiepiscopus Methodius, rediitque in Pannoniensem suam dioecesin, cum victricibus maximi pontificis decretalibus, suam fidem probantibus, omnibusque ejusdem metropoleos presbyteris, *cujuscunque gentis* essent, obedientiam erga suum archiepiscopum imperantibus, addito jam tunc (880) suffraganeo Nitriensi, Wichingo Germano, et tertio postulato ad ordinandum, ut ita deinceps Methodius metropolita cum his duobus suffraganeis canonice reliquos, qui in tam ampla vinea Domini (hodie viginti fere episcopatibus gaudente) proxime necessarii viderentur, episcopos posset consecrare. „*Literas denique sclavinicas* *), *a Constantino quondam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitae resonent, jure laudamus, et in eadem lingua Christi domini nostri praeconia et opera ut enarrentur, jubemus . . . Nec sanae fidei vel doctrinae aliquid obstat, sive missas in eadem sclavinica lingua canere, sive sacrum evangelium vel lectiones divinas novi et veteris testamenti bene translatas et interpretatas legere, aut alia horarum officia psallere*" . . . . *Jubemus tamen, ut in omnibus ecclesiis terrae vestrae, propter majorem honorificentiam evangelium latine legatur, et postmodum, sclavinica lingua translatum, in auribus populi annuncietur; sicut in quibusdam ecclesiis fieri videtur. Et si tibi et judicibus tuis placet, missas latina lingua magis audire, praecipimus, ut latine missarum tibi solemnia celebrentur.*"

Ex qua decretali apparet: 1) Johannem VIII. naviter tutatum esse restitutam suam metropolin una cum suo metropolitano Methodio contra Salisburgenses (et Laureacenses), et 2) admisisse ipsam novationem liturgiae slavicae, ea tamen lege, ut majoris honorificentiae causa evangelium in *omnibus* ecclesiis prius recitetur latine „*et postmodum sclavinice in populi auribus annuncietur, sicut in quibusdam ecclesiis fieri vi-*

---

*) Potuit fieri, ut et de litteris *Cyrilli graecoslavicis* conquererentur sive Germani latinas ad usum slavicum utcunque combinantes, sive ipsi Slavi puris *glagoliticis* assueti. Methodius suam combinationem graecoslavicam fratri in acceptis retulit, et Papae probavit. Sed habemus et glagoliticarum approbationem Papae Innocentii IV a. 1248. Quod credit Dobrovius Cyrillum ipsum vertisse Evangelia et psalterium, non caret justis dubiis. Quis e. gr. credat, eum nescisse, quid sit gr. *πρὸς τὸν δεῖνα*? At quicunque hoc primus vertit sl. къ динѣ, i. e. ad Dinam, is aperte nescivit. Antiquissimi codd. satis indicant interpretes, natione Slavos, sed a doctrina rudiores praesto fuisse Methodio hac in re adjutores.

detur." Est hic notabilis sane locus decretalis, si quidem recte eum intelligimus. Nos enim, quod ante hanc papae decretalem in *aliquibus* ecclesiis fiebat, de Germanorum ecclesiis intelligimus, quorum communis sensus dudum *vernaculam* admiserat in partes liturgiae plebi maxime necessarias, post latinam evangelii recitationem e. gr. *extemporanea* saltim subdita versione germanica. Slavorum autem patriae linguae privilegium ad totum ecclesiasticum officium extendit papa, quamquam adjecta bonae translationis conditione, et ipso antiquandi, si vellent, hujus privilegii principibus facto arbitrio! Hinc facile concedas Dobrovio existimanti, in dioecesi Nitriensi, Germano Wichingo subjecta, precarium tantum locum habuisse missam slavicam, Svatopluco ipso graecis minus favente; vixque vita functo Methodio graecos clericos, quorum ad ducentos numerat S. Clementis biographus, omnes ex ipsa Pannonia expulsos petiisse aequiorem sibi Bulgariam, jam ante Hungarorum adventum.

Concludamus ergo cum eodem Dobrovio (Glag. ed. nov. 1832, p. 33 cf. *Griesbach* N.T. I. p. CXXVII.): cantare coepisse Methodium in pannonico ducatu Blatensi ducis Hecilonis a. 870 missam lingua Slavina; sed hanc novationem licet a papa admissam, fuisse extrusam e Pannonia post Methodii obitum (885—895) jam ante Hungarorum adventum; at hoc laetius effloruisse in Bulgaris, Croatis et Serbis, unde et a. 988 in Russiam traducta est, immensum inde *) cum tempore captura incrementum: in *hodierna* contra *Moravia*, *Bohemia* et *Polonia* nunquam viguisse. Nec obstant suspectae doctissimi Boczkonis membranae ecclesiarum a Cyrillo et Methodio consecratarum in hodierna Moravia, (neque rite inferas a coepta *christianitate* ad *liturgiam* slavicam), multoque minus Schaffariki fabulae de Dobrovii *παλινῳδίᾳ* (antiqu. Slav. p. 780) a Maciejovio repetitae, nobis autem, qui Dobrovio omnium ultimi ad extremos fere vitae dies praesentes utebamur familiarissime, non solum inauditae et suspectae, sed omnino incredibiles, utpote de contrario certo certioribus.

Licebit denique, in Dobrovii ultimis a. 1823 et 1826 de SS. Cyrillo et Methodio dissertationibus nonnulla *παροράματα* indigitasse, ne aliis singula minus edoctis offendiculo sint. Scripsit illas Dobrovius festinantius, animoque, ut ipse fassus est in epistola ad V. Cl. Pertzium, commotiori dolosorum quorundam falsissimis suggestionibus. Ac in priori quidem, p. 38. *recte* epistola ad „*Tuventarum de Marauna*" intel-

---

*) Qui in orientalis hodie Hungariae montibus haerent Rutheni, e Ruthenia huc commigrarunt, baptismum quoque consecuti e Ruthenia; ab iisdem S. Procopius Bohemus sec. XI. slavice legere didicit; ad eos confugere e Bohemia illius discipuli. Nihil hic ex aevo Cyrilli et Methodii.

ligitur de Svatopluco, *maleque* p. 93 et in posteriori quaeritur *Zvuentapu*... de *Marauna* (ita enim habet codex Vaticanus) in Bulgaria, *pejusque* ad hoc in auxilium vocatur Lamberti Schaffnaburgensis locus, non solum per se obscurus, sed ipsa lectione dubius.

Ad p.52: Miseram Dobrovio e codice Paris. 2340 facsimile abecenarii bulgarici, additis *latino* charactere litterarum nominibus. Poterat ergo saltim ex *hoc* judicare de Maurinorum competentia: at videsis quam male nobis consulat cupiditas; maluit Dobrovius, contemta scriptura latina sec. XI, exspatiari per Ludovici M. Hungarici tempora seculi XIV. Itemque p. 78, in nota habes simile priori exemplum. Non poterat ignorare D., in calendariis et alias omni Episcopo tribui titulum *τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν* (Sancti Patris Nostri); non tamen dedignatur uti ridicula hac arundine ad deprimendum Assemanianum glagolitam. P. 93 collata p. 121: De Marauna et Zventopulchro jam diximus supra. Addamus hic, pro Gorazdo esse potius intelligendum ipsum Methodium. Gorazdus fuit Methodii discipulus, si graeco S. Clementis biographo credis, primarius, dignusque a suis judicabatur, qui illi succederet in Pannonia; sed episcopum non legimus fuisse dum viveret adhuc Methodius. II., p. 18 cf. 86 et 93, contra vero 90. Mirere, cum Dobrovii *fontes proprii* nil habeant de Bulgarorum conversione facta per Cyrillum, illum tamen eam mutuari e *rivulis!* Cur id facere putes? Ut verisimile appareat, pro Bulgaris, eorumque dialecto esse versa biblia. Sed estne haec justa Critica, et vera? Et quid si pleraque, quae posterior praesertim dissertatio p. 54, 86, 93, 115 et prior p. 133 habet faventia huic Schwarzio-Schaffarikianae sententiae, inscio Dobrovio sint interpolata aut immutata ab infideli typi correctore Pragensi; aut seniculo dolose persuasa sub praetextu ulciscendi personati, ut mentiebantur, critici Blumbergeri illiusque cum Russo Koeppenio *ἀντεπιςέλλοντος*? *Δακρυόεν* risit 1828. Viennae ipse Dobrovius, cum ipsissimam vidit sine persona honestissimam faciem R^mi D^ni Blumbergeri, quicum olim coenaveramus ambo.

P. 66. Lepidissime hic vides Dobrovium ipsum nobilissimi sui inventi *) oblitum desiderare nomen Caesaris Germanorum, cum revera adsit sed habitu slavico, Dobrovio alias notissimo, Kral pro Karl; nempe fuit iis temporibus Graecorum царь *Basilius*, Bulgarorum (царь) *Bogoris*, et Germanorum (царь) *Kral*. Vides hic *Kral* esse slavico habitu germanicum *Karl*. Quod ad chronologiam attinet, apertissimo partium studio minora praefert majoribus; nam quo jure, quaeso, Rasticis et Hecilonis tempora negliguntur in favorem anni 855, cum annus 870 et illis et indictioni III. et S. Clementis biographo praeclare conveniat.

---

*) Slavis rex est *Kral*, primusque Dobrovius invenerat, vocis etymon sec. VIII.

15.

De W. A. Maciejowski ad Slavorum historiam, litteraturam et legislationem commentariis lingua polonica editis Petropoli et Lipsiae 1839, 8. voll. II.

Juverit et aliquanto propius inspicere Maciejovii periculosae plenum opus aleae, intellige nimirum periculosum non tam verae historiae quam auctoris bonae existimationi, sive illius bonam fidem desideres, sive judicium sanum. Praecipua operis pars in eo versatur, ut persuadeat, non e. g. Russos tantum sed plane universam Slavorum gentem, quanta et nunc est, et olim fuit, nec exstinctis dudum puto Radantiis et Polabis exceptis, fuisse *primitus* ritus graeci christianos, nec nisi Pontificis Romani et Imperatorum germanicorum artificiis aut vi tandem Bohemos et Polonos et Hungaros (ut de minoribus gentibus, Croatis et Carentanis, Lusatis et aliis taceamus) „per varios casus et tot discrimina rerum" ab antiquiori graeco ad ritum latinum seu catholicum esse traductos. Audi stringentia novi critici argumenta nonnulla.

1) Cum historiae omnes plerumque expressis verbis narrent, quo primum tempore Carantani, Moravi, Bohemi, Poloni etc. e *paganis* fuerint facti christiani, novus hic tandem criticus, *non sine Dîs animosus,* primus et solus vidit; hoc paganismo intelligi ritum graecum! Et euge! ne forte credas illum posse aut fallere aut falli, proprium de hoc paganismi sensu caput scripsit III, breve id quidem vix binarum paginarum (I. 207 — 209), sed longe etiam futilius; nam nec ullus illius locus vel levissime probat assertum! Ille tamen hoc futilissimo argumento gaudet per totum opus ac si Achillem invenisset!

2) Putes tam acrem ritus graeci novitium saltim recte de illo sentire: at is et *credit* et *laudat* (I. p. 86 et 234 et alias) S. Cyrillum neophytis suis permisisse *idolorum* sacrificia et *polygamiam!* SS. Cyrille et Methodi, orate pro illo. Nam si vel tantillum judicio polleret aut scientia, non potuisset non statim animadvertere, aut corruptum esse, aut perperam a se lectum locum codicis Chilandarensis!

3) Quare hoc potius miramur, quod p. 78 *dubitat* de B. V. Mariae veteris imagine thaumaturga in sacello prope Brunam anno jam Domini XXX (lege trigesimo) aedificato. Neque operae pretium est, tam futilem criticum *serio* velle confutare et ad *singula*. Tantum nostra adhuc nonnulla aut aliorum, quae is aut corrupit aut non intellexit, in integrum restituamus.

---

deberi nomini proprio *Karoli*, plane ut Germanorum *Kaiser* factum sit e sec. I. nom. propr. *Καῖσαρ*. Sed en, saevo fortunae joco, hic sui inventi oblitus, exoptatissimum testem *usum* ipse non agnovit.

Ad I. 48. Patriarcha Constantinopolitanus *non* fuit successor (następca) Alexandrini patriarchae, sed vix Heracleensis autocephali; nec *unquam* illius dioecesis complexa est Pannoniam, nedum Aquilejam.

I, 62. *Slavi* Constantinopoli in dignitatibus constituti simul graece sciebant, sicut ante illos Gothi et alii Germani, neque de liturgia slavica somniabant. Accipe *Nicetam* Slavum, patriarcham iconomachum, quique Glyca teste nonnisi bibere sciebat et manducare, (c. 766—780) evangelium legentem *graece κατὰ Ματθάϊον* non sine risu Graeculorum.

I, 66. Ridiculum est, quod cum Porphyrogenitus expressis verbis dicat, Heraclium Imperatorem Roma accersisse presbyteros Croatis et Serbis baptizandis, noster Criticus novam Romam, id est Constantinopolin intelligi malit, ex eo quod ibidem de *veteri* fide loquatur auctor. Quantillum judicii sufficiat, ut quilibet videat, Imperatorem loqui de veteri fide, qualis fuit utriusque Romae ante Photium.

I. 114. Qui vocabula hungarica: *apátúr*, *ahétatos*, *andalgani* (dominus Abbas, devotus, vagari) pro graecis habet, is facile et christen, *mnich*, *oltar*, *papesh* et *komkanje* pro graecis habebit vel abnuente Schaffariko; sed carebit, spero, jure suffragii apud peritos.

Idem pedaneus judex parata est praeda Schaffariki artibus, qui nostra argumenta pannonica, cum non possit *recte*, *quocumque* demum *modo* conatur eludere, applaudente (quod minime invidemus) digno judice Maciejovio: dicit enim p. 76, Schaffarikum satis nobis ostendisse, quae nos pro germanicis habeamus, esse mere graeca! Risum teneatis, amici? Nisi jam ex his intelligis, lector perite, quantum audias philologum, en tibi p. 47, ὁ πάππος (sic, ut prodeat papst?) quem ille sl. *naczelnik* esse dicit, i. e. principem, ducem. Pari coecitate Criticus noster p. 62. accedit Schaffariki cupidiori temeritati, *graecos* sacerdotes a Bulgaris circa Haemum repertos pro *slavicis*, id est slavice λειτουργοῦσι venditantis!

I. 73. Falso dicit auctor, Kopitarium, dum si non remotiorem at aequalem saltim glagolitici alphabeti cum cyrilliano propugnat antiquitatem (in quo, pro remotiori antiquitate, vehementer consentientem habet Grimmium), prioris inventionem et ad sacra usum tribuere *latinis sacerdotibus*. Centies *clare* dicit Kopitar, ante SS. Cyrillum et Methodium *non* exstitisse liturgiam slavicam, at *potuisse* exsistere characterem, ignoti ut in re veteri auctoris, glagoliticum ad usum *civilem* multo antea, posteaque introductam A. 870 liturgiam vernaculam, a Methodianis quidem scriptam in Graecorum commodum cyrillico alphabeto, quod ex besse graecum et ex triente tantum slavicum est, at ab ipsis Slavis ex eadem sed sui commodi causa alphabeto sibi consuetiori glagolitico integro. Testesque nunc rei sic se habentis satis, ni fallimur, idoneos tibi damus codices glagoliticos antiquissimos Clozianum et Asse-

manianum, ipsumque adeo Cyrillianum Bononiensem, cujus librarius quasi distracta alio attentione litteras glagoliticas miscuit cyrillianis, nempe quotidianas solemnioribus. Omnes enim hi codices aperte pro ritus graeci Slavis accurati fuere, quem ritum novus historicus noster Slavicum amat appellare, κατ᾽ ἐξοχὴν ut videtur, sed levius quam vere aut accommodate ad rem. Non enim solum in magno suo itinere anno 1837 facto per Galiciam, Hungariam, Austriam et Bohemiam, (quod illi gratularemur magis, si lentius festinasset), potuit et debuit videre Missalia et Breviaria *latini* ritus, eadem S. Methodii lingua adornata, sed etiam in Kopitarii Glagolita, quem toties citat testem, plurimus de eadem lingua *latini* ritus est sermo; quod ergo nomen dabimus *huic* ritui, si ex tuo arbitrio, graeco *tantum* ritu adornati libri Slavorum sacri Slavicum ritum constituunt? An glagolitae non sunt Slavi, eorumque ritus nonne slavicus? O profundum historicum justumque! —

Concludamus totum hoc scandalum cum humanissimi auctoris laude Germanorum, I, 112: „*Italus* et *Gallus* habebant nescio quid lingua etiam blandius, quo nulla vi adhibita satis tamen valerent apud exteras nationes: *Germanus* nonnisi per vim effecit, ut prae sua illius linguam aestimaret Slavus; (et p. 99) adeo tandem exasperato mutuo odio, ut vulgo nostro (polonico) fuerit et adhuc sit idem Diabolus qui Germanus (Niemec)." Quid nos ad haec? Puto e Matth. 18, 7: *Necesse enim est, ut veniant scandala; verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit.* Utinamque Polonis nunquam veriores germanicis diaboli obveniant.

16.

De veterum codicum bohemicorum insperatis inventionibus, non sine causa suspectis.

Absolvamus quod morte praeventus vix affectum reliquit summus Dobrovius. Ille enim nonnisi fragmentum, quod *Liubussae judicium* appellant et quo ceu purissimo fonte Palackus usus est ad explicandum jus antiquum bohemicum, imposturae accusaverat publice (causam dicens in Vol. 27. annalium Vindobonensium), itemque *querelas amatorias* in ripa Veltavae fluminis; similem actionem minatus in *fragm. evangelii* S. Johannis, si se vivo ederent. Quare maluerunt mortem senis expectare, et postea demum edidere. At quid si eadem suspicione laborent minus diligenter examinatae *Glossae* bohemicae in Salomonis glossario MS. et ipsae *cantilenae* Reginohradecenses, simillimae, judice Grimmio, Serborum cantilenis *prius* editis, quarumque non injuria eas credas recentis Bohemici poetae imitationes. Licebit ergo *omnia* haec nova ἑρμαῖα enixe commendare criticae DD. Schaffariki et Palacki, qui jam 1838 professi sunt se parare vindicias; quamquam eas vix expectes inte-

gras a correis; sed aliorum erit audita utraque parte judicium. Glossae autem ipsae jam ἔξωθεν movent suspicionem, quippe vix non omnes insertae aut supra lineam aut infra.

17.

De Gaji nunc *Ljudeviti* (olim *Ludovici*), duplici molimine novarum tabularum tam *linguae* quam *scripturae* Croatarum Zagrabiensium.

„*O bone mi Gai, quis te malus abstulit error*"
ut faustissimum *clari bellatoris* (hoc enim sonat germanice Ludovici paternum tuum praenomen) malles commutare ominosissimo *Ljudeviti* vocabulo, quod non solum per se nescio quem tyrannicum populi debellatorem (людевитъ, aut secundum Schaffarik, nescio cur, людивитъ) sonat, sed etiam proprium fuit sec. IX nomen ducis Croatarum stolide ferocis et barbare perfidi; quippe qui domestico ducatu amisso, ad Serbos profugus hospiti suo regnum vitamque ademit, at parem, denuo profugus, mox ipse sortem, nec immerito ab alio hospite Dalmata expertus est!

Sed mittamus haec puerilia, non solum nobis ridicula, sed ipsis ni fallimur, Gaji magistris, *Jo. Kollario*, V. D. M. Pesthiensi, et *Palacko Schaffarikoque*, qui quamvis nonnisi semibohemi, et heterodoxi, tamen non sine aliquo qualicunque suo merito nunc praesidere videntur parnasso bohemico, imo nec hoc tam amplo Bojohemi regno contenti etiam Illyrici imperium affectant! At illorum nemo seipsum rebaptizavit, ni forte de J. P. Schaffariko dicere velis, quem Jenae olim *Sáfáry* fuisse accepimus, novimusque antea *Schaffarikum*, nunc moro Szafarzykum, modo Ssafarzjkum debemus admirari. Sed has ille sumit formas, ut cum Apostolo „omnibus fiat omnia", non ut mulierculárum more bellius nomen gerat. *Kollár* vero et *Palackus* etiam hanc *Josephi-Pauli* οἰκονομίαν dedignantur, subridentes, putes, his puerilibus discipulorum nugis, quorum hic вѣкославъ est (aeternum cluens), alter *Ljudevit* (populi debellator), tertius *Svatopluk* (sacra cohors), quartus *Borzivoj*, quintus fortasse *Huss* erit, quamvis omnes quoad cetera sat boni sint catholici. — Quando tandem nuces ponent, et magistrorum exemplo seria tractabunt serio!

Atque in bono quidem Gajo adeo efficax fuit nominis anabaptismus, ut 1) A. 1830, dum Pesthini degeret cum Kollário, popularibus suis, sine justa caussa, juvenili sua potius ambitione ductus, propinaret adoptandam orthographiam neobohemicam, non solum in ipsa Bohemia nondum publice probatam, sed et *auctam* l littera per se nimis alta, imposito solito reliquarum cuneo ad babylonicae fere turris altitudinem! Quamquam hoc e longinquo evangelium minus arrisisse videtur Zagrabiensibus

2) Quare redux Zagrabiam Gajus denuo rem aggreditur acrius, ulturusque fortasse popularium si minus contemptum, at saltim frigus et lentitudinem, omne qua latet patet, Illyricum in se recepit evangelizandum; nactus forte discipulum unum alterumve meliorem seipso. Sed et ipsum illius evangelium minime mansit idem quod erat in principio. Nam primo ingrátos suos Zagrabienses non solum ad novam denuo *orthographiam* (diversam a sua prima a. 1830) damnavit, sed etiam ad novam *linguam*, nimirum ragusinam, quam puto, illi commendarunt veteres magistri *Kollár* et *Schaffarik*, quippe quae jam aliqua qualicunque veteriori litteratura gaudeat, et *Reipublicae* olim fuerit lingua, ab aliisque (nimirum nobis ipsis et *Grimmio*) jam alias opposita Serborum feroci ignorantiae. „(*O Imitatores, servum pecus* etc.)" —

3) Ain' vero? Cur Zagrabienses obliviscantur *linguae patriae, serviant* ragusinae? Cur *orthographiam* discant novam, haud sane minus, quam sit illorum vetus et consueta, arbitrariam et mancam, etiamsi Schaffarik eam pronunciaverit *organicam*. Non est cujusvis esse Taleyrandum et efficaciter *verba* dare senatui et populo. Nos nil *organici* videmus nec in *neobohemica* orthographia, et multo etiam minus in neo*illyrica* Gajanorum; imo arbitrarii minimeque organici sed ad diversissimos usus iidem *mechanici* cunei typis imminentes tollunt scripturae continuitatem, et muscarum quasi stercoribus inquinant pulchritudinem. Adde *nj*, *lj*, *dj*, *tj* jam non amplius mereri Schaffariki calculum, utpote recedentes a neobohemico, si Diis placet, organico stercore. — Dein, si *aliena* lingua discenda est Zagrabiensibus et quos Vandalos vocant aliisque, cur potius *ragusinam* praeferant sive *germanicae* infinita litteratura florenti, sive vicinae *hungaricae* similem florem speranti, et jam nunc certissima commoda politica offerenti? Quid, quod hi nebulones (sit venia justissimae indignationi) eo impudentiae devenere, ut ipsam Serbicae dialecti vel popularium cantionum immortalem litteraturam suis nugis victimam pasci arbitrentur. Vide germanicam annunciationem grammaticae Babukichianae (1836)!

4) Sed vix opus est irasci tam stulte et impudenter coeptis, jamque sua sponte ruentibus. — Quamquam pro Cisdanubianorum saltim triplici litteratura *orthographia* rationabilior et pro omnibus *eadem* omnino est in votis omnium, qui populares suos et patriam amant; nec desperamus talem nobis obventuram suo tempore et fortasse spe citius. Tunc demum scribemus omnes iisdem litteris et eâdem orthographia, ut olim Graeci, sed et singuli *patria* linguâ, ut *iidem* Graeci.

Quod Kollário-Gajani falso adstruunt de hodierna Germanorum, aut Gallorum, Italorum, Anglorumve linguarum unitate, si bene expendantur, non aliter se habent, ac veterum Graecorum. Nec ulla harum unitatum nata est dormientibus per noctem, sed e pluribus aequo jure coëxisentibus

dialectis una per plurium aetatum decursum exstitit reliquis potentior sive *imperio*, sive *litteratura*, itaque tandem ceteras superavit. Sic attica aut florentina *litteraturâ* reliquas vicit, graeca postea *κοινὴ* ipsam atticam *imperio*. In *Gallia* cum imperio etiam dialecti honor migravit ab Austro ad Septentrionem. In *Germania* ante Lutherum australis et borealis dialecti aequa fere fuit potestas, nec nisi per Lutheri Biblia una quasi per omnem Germaniam Litteratorum dialectus est enata.

Vanaque et *indocta* est Kollarii et Schaffariki opinio de *unitate* dialecti unius ejusdemque per omne late Illyricum; bonoque jure nostro miramur *indigenae* (pace Schaffariki et Kollarii sit dictum) illorum impudentiam, qui Dobrovii dialectos slavicas utrinque *quinas*, ergo universim *decem*, jure belluino audeant redigere ad *quattuor*, (quam quidem impudentiam non sine solatio videmus etiam justissimis ad *Herderi* exemplum Germanis displicuisse, e Nr. 328. Ephemeridum Augustan. Univers. A. 1839): imo dicimus *Dobrovium* potuisse ad *Grimmii* exemplum *duodecim* plane dialectos linguae slavicae statuere, additis ad *decem* priores insuper *ruthenica* et *bulgarica*, quarum grammaticae postea prodierunt. Et *Dobrovius* quidem, Bohemus catholicus, Slovacicae dialecto dederat locum, at Schaffarik Slovacus protestans maluit bene partum denuo pessumdare! *Tantum religio potuit suadere malorum.* Putes nunc *κακοδαίμονα* et foris quaerere socios proditionis. Ut uno verbo rem absolvamus, non *una*, sed *tres* vigent cis Danubium Slavicae dialecti, ad minimum aeque ab invicem distantes, ac e. g. bohemica distat a polonica. Suntque 1) *Slovenorum* in Pannoniis, a Dravi fonte ad ejusdem ostia, itemque a portis fere Vindobonae per Zagrabiam Tergestumque, Carnicum ab hominum memoria emporium, et ultra alpes noricas habitantium. Estque hoc primum *par* millionum reliquiarum Slavorum, qui primi cis Danubium coluerint, primique Christianis sacris fuerint initiati. Alterum *par* 2) earumdem reliquiarum per Moesiam nunc inferiorem, Thraciam Macedoniamque dispersum colit, olim longe potentius. *Bulgaros* vocant. Et *Slovenorum* quidem certo certius per triginta fere annos Archiepiscopus fuit S. Methodius Romae ordinatus, indubius liturgiae slavicae auctor; maximeque est probabile, tam ipsum Methodium e nova sua ab a. 868 metropoli pannonica et moravensi, quam et antea, dum per quattuor annos et dimidium versaretur in Pannonia, cum fratre Cyrillo, mortuo postea a. 868 Romae, saepius commeasse ad Bulgaros, contiguos *illo aevo* metropoli Methodii. At *nunc* Slovenos a Bulgaris distinet cuneus per Belgradum jam ultra Danubium adactus 3) *Serborum*, quod tertium est genus Slavorum cisdanubianorum, idque solum ad quattuor milliones hominum ascendens, diffusorum a Danubii Savique fl. confluente ad Haemum usque, itemque a *Timoco* fl. ad mare usque adriaticum, *natum* sive e novis A. 640

a Septentrione advenis, ut vult Porphyrogenitus qui eos Serbos simul et Chrobatos vocat, sive quod probabilius est, *auctum* tantum et *mixtum* veterioribus incolis Slavis, pannoniorum et moesiacorum fratribus, novisque A. 640 advenis. *Illyrios* eos nunc amant vocare. Horum ergo recentiori dialecto quattuor millionum isti barones novam escam destinant binos utrinque milliones Pannoniorum et Bulgarorum; qui quidem si eodem jure *belluino* uti velint, nonne facilius ipsi devorent hostem *medium*, aequis utrinque *viribus*, sed *conditione* nostra meliori, quippe illo de *imperio*, nobis de *libertate* certantibus. Sed *homines* cum sint, malent illi humano jure uti τοῦ μήτ᾽ ἀδικεῖν μήτ᾽ ἀδικεῖσθαι (nec facere injuriam, nec pati). Aut igitur et ipsi novatores discant singulas linguas, aut desinant nobis consulere. Modo unusquisque nostrûm fideliter faciat officium suum, nil nobis opus vulpium κολούρων consiliis: imo, contemtis peregrinis Gruibus, Pygmaei *pergamus* non solum domi sed etiam publice uti *patria* quisque *sua* dialecto (id quod non solum singulis aequissimum, sed et cuique facillimum quia naturale, et gratissimum est quia patrium): Carniolus carniolana, provincialis Croata provinciali, militaris militari, Dalmata dalmatica, Ragusinus ragusina, Serbus serbica, Slavonus denique slavonica! Quidni et Bulgarus bulgarica, nequidquam, contra justum et aequum, prohibente Schaffariko! *Quod sis, esse velis, nihilque malis! Sua* cuique videatur lectissima, *suam* quisque foveat atque si forte alias norit peregrinas, veteres maxime graecam et latinam, suam alumnam cum illis comparet, eamque doceat rivales has si non superare, at saltem aequare. Sic Cicero aliique Latini fecere de graeca (Graeci enim ipsi sine exemplo aliis omnibus exempla reliquere sempiterna), sic et hodie Germani, veteresque jam olim Bohemi et Poloni de utraque.

Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
Si *Patriae* volumus, si *nobis* vivere cari.

Reliqua et futura DEUS ipse providebit, penes quem est *omnium* cura, et coronatio *merentis*, posteaquam *legitime* certaverit (2 Tim. 2, 5). Satque legitime, ni fallimur, per tria jam secula certavere e. g. *Sloveni* nostri, verso plus simplici vice *suâ* linguâ toto Bibliorum corpore; feliciusque et laetissimis *nunc* auguriis certant *Serbi* graeci ritûs; neque nos latinis Serbis Ragusinis Dalmatisque invidemus aut veterem gloriam, aut hodiernum favorem: sed jure dolemus *provincialem Croatiam*, cujus caput est *Zagrabia*, tristissimo exemplo deseri a *suis* non solum *filiis*, malentibus in ragusinam *silvam* (Dubrovnik slavicum Ragusae nomen, est a dubrava, *silva*) ligna ferre, quam *miserae succurrere patriae*, sed etiam *filias* tentari ab his silvestribus Faunis ad eandem impietatem! — In omnem casum triumphabit quisquis *legitime* certaverit.

En pueri ludentes REX eris, ajunt,
Si RECTE facies.

18.

De Imperatoris Constantini Porphyrogeniti loco satyrico (Them. II, 6, p. 44).

Laudatur famigerati eo seculo grammatici et poetae Euphemii *ἰαμβεῖον* missum in Slavum Peloponnesi adeo potentem, ut nuptias imperatoriae virginis ambiret:

Γαρασδοειδὴς ὄψις ἐσθλαβωμένη.

Lacerabant aulici, ut fit, hominis natales, et vultum, frustra; nam iis nequidquam deridentibus, brevi postea socerum nactus est Nicetam, patrem Mariae imperatricis. Videamus aculeum epigrammatis. Si cum latino libri interprete, nescio quo apud Bandurium vertas:

Vieta facies in servitutem redacta,

vix assequare acumen quod adeo probari potuerit malignis aulicis. Vide annon resideat in sensu vocis *γαρασδοειδὴς*, quam sine auctore idoneo accipiunt ac si sit *γεροντοειδής*. Nos contra a гораздъ derivamus, quod hodiedum Russis valet i. q. Gallis *habile*, *adroit*. Adde hinc prope distare vim vocis gall. *escamoteur*, et facile senties vim epigrammatis:

Adest nepos Quirini, facie et manu горазд*issimus.* Sine dubio omnes tunc Byzantini sciebant, quid esset slavice гораздъ, in risumque prorumpebant, sicut facerent Vindobonenses, si quis ambitiosum similem e. gr. salutaret:

Sey uns gegrüsset, edler Fürst von Kradlowat (alluditur ad *kradem* quod slavice est furari; unde et ipsum *kradlowati* ap. *Jungmann*).

19.

De linguae graecae aevo Pericleo pronuntiatione.

Desinamus, unde coepimus, in graecis. Legimus magistri R. I. F. *Henrichsen* Dani de neograeca sive Reuchliniana linguae hellenicae pronuntiatione recentem libellum *κριτικωτάτως* scriptum. Qui si forte nostram de eadem causa disceptationem Annalium Vindob. Tomo VI. insertam inspexisset, gavisus esset de hominis et loco et tempore a se tam longe remoti, cum sua judicatione tanta concordia. Nisi quod Danus, A. 1839 densiores nubes habuit dispellendas, quam nos A. 1819. Hoc unum dolemus, quod tantus criticus Erasmi dialogum, totius hujus disceptationis fontem, nonnisi obiter videtur inspexisse. Quod ni fecisset, non potuisset non videre, Erasmum *serio* disceptare, non joci causa; *recteque* ab illius aevi lectoribus rem fuisse acceptam pro seria, Ursi et Leonis collocutorum nominibus minime obnoxiis. Vidis-

et etiam, sive ex Erasmi lectione diligentiori, sive e nostra disceptatione, *falso* dici aut haberi Erasmianos Germaniae, Angliae et Galliae professores hodiernos, qui graeca et latina pronunciant pro suae quisque nationis consuetudine, ut e. g. *Europae* nomen Anglo sonet *Ju*ropa, Germano *Ai*ropa, Gallo denique *Œ*ropa; sicque de reliquis omnibus. Ac tali quidem pronuntiationi utique longe praeferenda est neograeca, quae saltim graecae nationis utcumque mutatae nitatur usu et auctoritate, quum illa contra nil sit nisi Exterorum, (Graecus diceret, Barbarorum) *ποικιλώτατον* in una eademque causa arbitrium.

Liceat tam diligenti et docto Critico, post *versum politicum* Byzantinorum, commendare illustrandum eorumdem *rhythmum liturgicum*, graecis ipsis quotidiana praxi sat expeditum, at nobis Latinis, *etiam* post *Allatium* et *Ducangium* obscurissimum.

20.

Bona spes illustrandae linguae graecae e slavica.

Ut taceamus de superiorum seculorum viris, qui pro sui aevi leviori etymologia Graecis Slavica comparabant, ipsoque nostro *Dankovio* qui integrum Homerum detorquet slavice, vidimus jam apud *Dobrovium*, *Bopp*, itemque *Grimm*, *Pott* et *Haupt* justae et severae contentionis exempla; nobis ipsis iter Italicum 1837 subministravit ignotam antea veterem praeteriti temporis formationem ope S litterae, respondentem latinae: *scripsi*, *vulsi*, *fluxi* etc., graecaeque: ἔτυψα, ἔλυσα, ἐκάλεσα etc. — Addamus nunc binas quaestiunculas ipsis graecorum grammaticis nondum penitus expeditas: 1) de I pronomine, 2) de glossa homerica *γέντο* pro ἔλαβεν. Ac illud quidem I etiam Slavis est и, quod grammatici jubent pronunciari ut *ji*, casu quidem accusativo, sed qui aequalem plane nominativum supponit, hujusque reliqua declinatio procedit more adjectivorum: *jego*, *jemu*, *jim* etc. — Scimus aliis placiturum magis ad lat. *SE* respectum, quod et nobis est сѧ, sed liceat et hanc symbolam contulisse in medium. — De ΓΕΝΤΟ autem homerico satis quidem probabiliter adfertur ΚΕΝΤΟ Alcmanis pro κέλετο, ergo γέντο pro γέλετο i. e. ἕλετο, γ littera pro digamma accepta: sed quid si via simpliciori γέντο conferas cum sl. ѩ-ти (λαβεῖν); nonne habes ѩ-radicem vix non eandem cum γεν-graeca; nam ѩ-nonnisi Russi pronunciant ut *ja*, Slavi veteres *jen* pronunciabant, sono *n* litterae nasali, qui hodiernis quidem Pannoniis ex parte periit, sed remansit *jé* (non *ja*). Imo Gothi ex плѧс-ати (quod hodiedum pannoniis Slavis sonat pléssati (per é fermé Gallorum) fecere *plinsjan*, quod non fecissent, nisi плѧс-sonuisset Slavis *pléns*, non *pljas*. — Addamus et lat. AD-IMO compositionem simplicius explicari e slav. от-имѫ, quam e lat. AD-quod admoventis est potius, quam amoven-

tis. Nec satisfacit analogia D epenthetici in PROD-ESSE. — Et quid si ipsum PREHENDO verbum sit revera compositum ex PRAE-HENDO, (id quod video jam subodoratum esse *Schellerum*), i. q. sl. при-ѩ-ти; ut adeo *γέντο* homericum et Latinis adferat lumen.

21.

„Epistola Regis Avarorum directa ad Imperatorem Romanorum."

E cod. seculi XII, membranaceo, Sidonii, Fortunatiani, Senecae et aliorum opuscula complexo (cf. *Bandinii* Catal. lat. II, 364), benigne communicata ab ipso Bibliothecae Laurentianae Praefecto, Celeberrimo FR. DEL FURIA: a nobis nunc primum edita, ne forte quis plus expectet, quam ipsum en continet vetus fragmentum:

Rex Avarum Kagan debellans ultima mundi
Famosos stravit magna virtute tyrannos,
Innumeros populos et fortia regna subegit,
Cujus Threicium fortis exercitus Hebrum
Exhausto siccare lacu, fluviumque bibendo
Nudare, et nondum potuit satiatus abire;
Quem Persae timuere feri, genibusque minantis
Admovere manus, pacem et meruere precando,
Ne forte excelsis frustra Babylonia muris
Cincta foret, didicit dominos patientia ferre.
Rupimus Euphratem, gelidos superavimus amnes,
Hybernos cursus quando refraenat aquarum
Frigus, et omnigenis fit durior unda metallis,
Vidimus et tectos vitrea testudine pontes
Stagna, lacus, fluviosque super fontesque jacere,
Calcantesque nives, vel stratae marmora terrae,
Cognatos latices laticum cum crusta tegebat,
Plaustra super solidas stridentia duximus undas...

Reliqua desiderantur.

22.

Epimetrum de codice cyrilliano-glagolitico Remensi.

En hoc ipso die (9. Jan. 1840) W. *Hankae* Pragensis notitia ulterior de celebrato illo codice, cujus ultimam paginam rogatus jam nunc Russis exhibuit *Sylvester* noster, pollicitus nobis jamdudum (Romae 1837) ipsius codicis integri opere lithographico editionem; cujus quidem propositi hoc eum minus poeniteat oportet, quo ex illa ultima pagina majus

adhuc codici accedit pretium, utpote e Caroli IV., Imperatoris, Parisiorum dignissimi alumni, thesauris provenienti.

Habet nempe illa pagina hanc circiter notam, litteris quidem *glagoliticis*, sed dialecto *bohemica* (ut solebat utrumque usurpari Pragae in Monasterio Slavorum, cf. *Dobrowsky*, Geschichte der böhm. Sprache und ältern Litteratur 1819, p. 47—60); a doctissimo D. Hanka e conjectura redditam cyrillice:

Лѣтъ г҃нхъ ч. т. п. д. (1395) свято (?), ев҃лие а епиштолѥ (?) ешто сȣ пісані словянскімъ (?) яз҃кемъ (?), тіж маjі спѥвані (?) біті на годі, кдіжъ о҃тцъ под корȣнȣ мші слȣжі.

а дрȣга страна тѥхто (?) кніжекъ. в ненжъ е҃ по в҃рѣ рȣсского з҃кна, псалъ есть прокопъ о҃тцъ свȣ рȣкȣ. а то пісмо рȣсске далъ небожтікъ карелъ ч҃твpті ц҃ръ рзімскі. (?) к (?) ославѣні томȣго к҃лштрȣ, а ке цті святемȣ (?) еронімȣ. і святемȣ (?) прокопȣ. господіне рачъ мȣ дати покоі віечні. а҃мнъ.

(Latine sic reddas: A. D. 1395. S. Evangelium et Epistolae quae sunt scriptae Slovenica lingua. Hae sunt cantandae in festis, quando *Abbas* sub infula celebrat missam.

Et altera pars hujus libelli, in qua est secundum fidem Russicae legis. Scripsit Procopius abbas sua manu. Et hanc scripturam dedit beatae memoriae Carolus Quartus Imperator Romanorum ad Slavorum hocce monasterium. Et in honorem S. Hieronymi et S. Procopii. Domine dignare illi dare requiem aeternam. Amen).

Vides hinc, erudite lector, sortem codicis jam illustriorem simul et illustratiorem; Carolo nempe IV. Imperatori partem cyrillianam *datam* et *acceptam* fuisse pro codice ipsius S. Procopii, patroni Bohemiae, defuncti 1053, manu exarato; hincque *reliquiarum* loco donatam fundato a se et praedilecto monasterio Slavorum Pragensi. Partem glagoliticam ipsi monachi Glagolitae adjunxerint volumini, ut libelli volumen simul et pretium geminarent. Sed unde Cardinali Lotharingico (qui a. 1554 jam habuit hoc cimelium, consecrandoque novo regi Galliae destinavit jure jurando tangendum, *fabula* donatoris patriarchae Constantinopolitani? Quamquam similem huic *fabulam* declaremus oportet etiam superius scriptam de *S. Procopio* codicis scriptore, ab amico Hanka aequo cupidius confirmatam, cum nec ipsa subscriptio recte examinata hoc edisserat. Nam quis A. 1395 *S. Procopium* simpliciter appellarit Abbatem Procopium, non adjecta *Sancti* appellatione? *Carolo* quidem IV. pro S. Procopii autographo fuisse venditum, facile credimus, aeque ac *glagoliticum* fragmentum pro hieronymiano. Sed utrumque esse sec. XIV. ante jam diximus, quam hanc subscriptionem vidissemus. De toto hoc negotio vide *La Chronique de Champagne*, 1839 I, 40, II. 204, unde et hoc patebit, nostra potissimum opera directa et indirecta codicem pro deperdito desperatum, fuisse reductum in dias luminis auras.

POST SCRIPTUM.

Nos supra (p. 56) summo jure deprecatos esse Maciejowski in SS. Methodium et Cyrillum calumniam, en locum ipsum codicis (recentis) ab amicis Leopoli submissum post impressam jam nostram deprecationem . . . . . Бяхуже се глюще латинстии сопричетници Архиереи и Ереи и ученици, и бражеся со ними яко Давидъ со иноплеменникы, книжными словесы побѣждъ я, нарече я триязычникы, яко пилату тако написавшу на титлѣ гдни. Не токмо же се едино глюще, но и иному бесчестію учаху глюще . . . . и небраняху жертвъ творити по первому обычаю ни женитвъ бесчестныхъ. Все же сіе яко терніе посѣкъ словеснымъ огнемъ попали гля: пожри бгу жертву хвалную и воздаждъ вышнему млтвы твоя, женниже юности твоея не ѿпусти etc. (Fuerunt autem loquentes (contra missam slavicam) latini conclerici Episcopi, sacerdotes, et discipuli; et dimicavit cum illis sicut David cum allophylis, et Scripturae verbis victos eos vocavit Trilingues, quoniam Pilatus ita scripsisset in titulo Domini. Non solum autem hoc dicentes, sed et aliam impietatem docebant dicentes . . . . nec interdicebant sacrificia facere secundum pristinum morem, nec matrimonia impia. Omne autem hoc quasi dumetum concisum rationali igne combussit (S. Cyrillus) dicens: offer Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo preces tuas, mulierem autem adolescentiae tuae ne dimitte etc.). Euge, festinantissime Maciejovi, quid tibi jam erit animi? Audebisne nunc *damnare* indubie quamvis injuriâ tributa latinis sacerdotibus, quae paullo ante, cum tu Cyrillo tribueres, non reformidasti laudare tam impie?

POST SCRIPTUM II.

Ecce, necdum finitus labor. Vix enim vindicata SS. Cyrillo et Methodio *vera* Dei aemulatione contra neophyti Maciejowski levitatem, en maligorioris sycophantae in nos ipsos calumniam, haud sane aegrius confutandam, nisi de se ipso dicere invidiosius esset.

Vellicat nempe absentem Pantilius *) cimex (in Brockhausii Lex. d. Gegenwart III, 110), quod promovendae nescio cujus Graecorum Unionis exstiterim protagonista, hacque de causa pannonicam liturgiae slavicae originem vix non *excogitaverim*. At nos opinionis nostrae *testimonia* et *argumenta* produximus, ut speramus, plane victricia: *haec* igitur *refellat* ante omnia, qui nos falli velit aut fallere. Indignum enim est

*) Sic hominem interim aliorum respectu placuit appellare, Horatiano (I Serm. 10, 78) et re et nomine simillimum.

honesto homine, *calumniari* malle, cum non possis rationes opponere rationibus. Neque nos adeo cum Pantilio desipimus, ut hodiernum sive Serborum sive Graecorum in genere Ecclesiae statum credamus vulpinis technis posse mutari;

Hunc etenim *terrorem animi tenebrasque necesse est,*
Non radii Solis, neque lucida tela Diei
Discutiant, sed Naturae Species Ratioque: . . . . .

(id est Просвѣщенie, cujus Russi proprium habent magistratum sive ministerium). Sed quis nisi aut sycophanta aut fanaticus aures sibi obturet, ne audiat Historiae byzantinae luculentissimum testimonium de Serborum et Croatarum primo baptismo procurato per presbyteros Româ accersitos (cf. supra pag. 57); quis nisi aut sycophanta aut fanaticus, sive graecus fuerit, sive lutheranus (dari enim et lutheranos fanaticos quis, hodie praesertim, nesciat) aures sibi obturet, ne audiat vocabula sacra *oltar, mnich, chr'stiti, pop* et *papesh, komkanje* etc. patriam suam Germaniam, adeoque germanicos primos gentis apostolos, SS. Cyrillo et Methodio pluribus aetatibus antiquiores, sono ipso profitentia (cf. supra p. 48); quis nisi sycophanta aut fanaticus ignorat, nos in linguarum albanicae, valachicae et bulgaricae historia, et scriptura cyrilliana defendenda, imo et commendanda *unitis* potius Valachis adeo displicuisse, ut nos primo pro graeco metropolita haberent, comperto autem errore eodem stercore commaculare tentarent, quo nunc Cimex! —

Musa, mihi causas memora, quo numine laeso
Quidve dolens Cimex miserum tot adire labores
Impulerit. Tantaene animis coelestibus irae?

Dicamus quod res est; fateamur imprudentem primum fiduciam nostram, tum percontatoris amici garrulitatem. Conquestus ille nobis erat per litteras de Cimicis et alterius cujusdam, Poloni, ignorantia; nos, ut fit, non solum illius tum querimoniae acquievimus, sed et in posterum nil sperare respondimus ab homine, qui tam ridicule sibi ipse placeret. Hoc nostrum in litteris de Pantilio judicium *Antonius* noster sive garrulus sive perfidus illi recitavit!

. . . . *Manet alta mente repostum*
Judicium Paridis, spretaeque injuria formae.

Nactus postea Pantilius publice scribendi *alieno sumptu* occasionem, quae antea clam et privatim in nos machinabatur, non solum ipse continuabat in sua ephemeride, sed etiam socios odii et calumniarum conducebat; nobis interea conscientiae nostrae fiducia securis, nec suspicantibus hostilem animum; donec tandem in ipsa nos patria et quasi domi nostrae de repente adoriretur. Tum demum coepimus suspicari conspirationem jam adultam, hominisque subdoli inimicitiam. Attamen et tunc contempsimus ulcisci injuriam, cum et Pantilii doctissimus Laba-

censis socius non solum resipiscere videretur, sed etiam paullo post periisset lavans in Savo flumine.

Interea noster Glagolita Clozianus prodierat Septembri mense A. 1835, per Europam benigne passim exceptus, ab ipsoque Bohemiae historiae recentissimo auctore A. 1836 saepe citatus et laudatus, quamvis nostra S. Methodii historia, statuens in pannonica ejus dioecesi A. 870 primum coeptam liturgiam slavicam, e diametro contrastaret illius *vanae omnique historico fundamento destitutae hypothesi* coeptae jam sec. VII. initio in Macedonia ejusdem liturgiae. Neque propria illius, imo nec *Schaffariki*, cui quidem eam in acceptis retulit *Palackus*, propria erat haec *hypothesis*, sed *somnium* defuncti metropolitae Carlovicensis *Stephani Stratimirovicii*, *natum* e lutherani *Schwarzii* de corona hungarica *primitus* graeca simili *somnio*, (sat ridicule discusso ope examinis ejusdem coronae facti A. 1801 coram testibus lutheranis et graecis a Quinqueecclesiensi Praeposito Jos. *Koller* *), *auctumque* etiam insanabili Metropolitae in ecclesiam occidentalem odio; quo eo devenerat amentiae, ut plane negaret unquam *fuisse* SS. Cyrillum et Methodium, quippe qui ferrentur Papae antiquae Romae paruisse! Pari in Romanos odio laborant et protestantes passim, minus tamen ridicule, utpote graecis facile doctiores: *Schaffarik* e. g. et Palackus non audent negare SS. Cyrillum et Methodium exstitisse: at liturgiam eos slavicam *nolunt* coepisse A. demum 870 in Pannonia, sed *malunt somniare* jam sec. VII. ineunte coeptam ab aliis nescio quibus graecis monachis, traduxisse etiam in Bulgariam et Pannoniam. Dicimus eos sic *malle somniare*; quid enim nisi *somnium* narrat, qui sibi et aliis conatur persuadere *ficta* pro *factis*, quaeque non solum, ut jam diximus, omni prorsus carent *fundamento* imo vel *nutu* quocumque historico, sed etiam diserto Johannis VIII papae in contrarium testimonio funditus evertuntur. Cur, putas, malunt *somniare*, quam vigilare? Imo et vigilant, somnumque nonnisi fingunt: nolunt nimirum tantum beneficium, liturgiam slavicam, primitus deberi Romanae ecclesiae.

Quare ne novi historici bohemi fanaticus error aut potius mendacium ex illius libro eleganter impresso pretioque vili vendibili denuo propagaretur per sexcentos Germanorum nimis commodos compilato-

---

*) Vide *Kolleri* opusculum, unde luce meridiana clarius patet, coronam esse conflatam e *veteriori* latina A. 1000, et *recentiori* byzantina A. 1072; e diametro contrarium somnio Schwarziano! Eodem plane modo liturgia etiam slavica, *coepta* in patriarchatu Romano, incrementa postea majora cepit in Constantinopolitano. Verum et *liturgiae* et *coronae* origo prima debetur Romae, si quidem *argumentis* res geratur, non *cupiditate*.

res *), disertis illi verbis contradiximus, amici rogatu, in „Repertorii," Lipsiensis 1837, vol. XIV; p. 182—185; cujus tamen Repertorii redactor, partium puto studio abreptus, non solum per integrum fere annum pressit nostram scripturam, sed cum urgeretur ut aut *ederet* aut *redderet*, tandem edidit, verum impudentissime mutatam; tolerandum e. g. dicens, *moderatum* spuriorum scriptorum *usum*, quem nos, ut justum erat, *nullum* plane admiseramus. Quod nostrum de suo opusculo judicium (quamquam id quidem multo lenius, quam fuit postea historici *Schlosseri* Heidelbergensis) cum tandem publicatum vidisset Palackus, quantum, Dii boni, excanduit homo suo judicio Bohemiae nisi et Germaniae historicorum princeps **); statimque solennem indutus patris, filio glorioso Rectoris, vulgo vero ludimagistri in viculo Moraviae, e nomine pristini domini vocato *Hotzendorf*, clericam cum φενάκη, *quaestionem* de nobis instituit *summariam* (in amici Brockhausii Bibliogr. Anzeiger 1838, Nr. 4) more neosocratico *nostram* causam *suis* verbis dicens, *suamque* itidem *suis*; quo quidem honestissimo, si Diis placet, strategemate nunquam dubius est dicentis coram plebe triumphus.

Nos contra perosi profani vulgi in talibus judicium, A. 1838 in *Chmelii Oesterr. Geschichtforscher* fasc. III) satis habuimus, *subtractam* in illa summaria quaestione a solenni ψηφοκλέπτῃ, callide illi substituto *christianismo* in genere, *liturgiam* slavicam ex operis ipsius I. 118, restitutam recitare verbotenus, et testimoniorum pro suo mendacio ostendere *evidentem fraudem*.

Illi vero, mortuo suo in Carniola doctissimo quidem sed et inconstantissimo socio, in reliqua Pannonia quaerere alios; et invenere satis se dignum *Gajum* (de quo cf. supra p. 59), qui posteaquam magnis Croatici Phaëtontis excidit ausis, horum hortatu majorem Illyrici universi currum conscendit, adjutus Schaffariki *consilio manuque*, jactantis per ephemerides in Liudeviticae ambitionis non dico adversarios, sed vel ἀδιαφόρους (indifferentes, neutrius partis homines) *aut* tardissimi ingenii, *aut* impudentissimae φιλαυτίας conviciis!

---

*) Imo ipse, ni valde fallimur, auctor denuo repraesentavit *fabulam*, in August. Ephemerid. univ. 1839, Nr. 140—142; sed nos refutavimus Nr. 189 ex *Historia*, ita ut ille nil responderit, nisi forte nunc has Cimicis calumnias habeas pro responso. Nos quidem habemus; solent enim justae pugnae impares confugere ad ejusmodi calumnias, suspiciones, insinuationes, insidias aliosque quoscunque dolos. — Addamus hic, Schaffarikum novissime desperasse liturgiae *tempus* seculi VII ineuntis, sed adhuc defendere *locum* coeptae, Macedoniam nimirum pro Pannonia. Sed Historiam neque hoc admittere, satis superque e fontibus ostendimus supra.

**) Nam cui nisi principi competit ordinem assignare civibus, ut ille facit, *Ludenum* statuens *cogitantissimum* Germanorum!

Haecque ipsa Schaffariki impudentissima φιλαυτία nos tandem permovit, ut quae supra habes, critice Lector, de Ljudeviti novis ausis quasi *mortis causa* diceremus sexagenarii. Scimus enim ex ipsius Gaji ore, eum jam paratum habere in nos Epitaphium; sese sine dubio sperantem fore idque nemine invidente, „the last Man" (hominum in orbe ultimum).

Tandem et de novissima Pantilii vellicatione dicamus. Ac primo quidem *errores* corrigamus chronologicos, quamquam per se leviores: sed praesto erat *historico* accuratior chronologia e Lexico Graefferiano. Non *filium* nobilissimi Maecenatis Sigism. *Zois* (qui caelebs mortuus est A. 1819) sed e sorore *nepotem* docuimus. Neque 1807, sed exeunte 1808 venimus Viennam, Juribusque vacavimus usque ad finem 1810, ubi ad Caesaris Bibliothecam palatinam transivimus. Grammatica nostra dialecti Slavorum interioris Austriae *Labaci* prodierat A. 1808, non sine fructu popularium, *sine Zoilo*; nisi forte *nunc* demum Pantilius fuerit, qui grammaticae slavicae auctorem pro philologo venditet. *Annalium* Litt. Vindobonensium redactionem, inexpectata novi post *Hülsemannum* in Lusitaniam profectum redactoris Cons. Aul. Adami *de Müller* morte periclitantium, nonnisi amicorum hortatu ad anni tempus susceperamus, bene gnari quid negotium requireret majus nostris humeris. Ceterum vix competentem talium judicem agnoscimus Pantilium; nec ille, si vel justitiae vel grati animi aliquem sensum haberet, nos reprehenderet in re, in qua et illi et communi amico Schaffariko omnia amicissima praestitimus. Quid, quod seipsum et Schaffarikum damnat, qui Voll. Annal. Vindob. XLV — XLVIII damnat, a *suffecto* redactore curata non sine oblata ultro utriusque operâ. Quod dicit, fuisse *firmis argumentis* refutatam nostram de S. Methodii sacra lingua sententiam, nos quidem *nil tale* vidimus; quis enim Palacki simplicem negationem, aut Schaffariki Maciejowskique somnia recocta pro argumentis habeat? Quod de magistratu nostro censorio aut mentitur aut somniat, freti recta nostra conscientia, non solum abominamur et respuimus, sed etiam ignoscimus inimico sive *malo* suo *dolo* mentienti sive *culpa*; nam *poterat* nos rectius nosse sive sua sive communium amicorum longa experientia, sive denique e nostro Antitartaro.

Russorum denique, aut vel *Serborum* aliorumque *Graecorum*, imo et *Protestantium* *), quibus nos suspectos cupit reddere Pantilius, adeo

*) Habemus amicos protestantes complures, viros probissimos et doctissimos, eosque haud ignaros nostrorum quorundam *Vespertilionum* protestantium, *duplici lucro* studentium, Lipsiae de persecutione papistica lamentantium, domi contra innata sibi protestantica luce superbientium, cujus rei lubet simulatorum ac dissimulatorum, chriographorum se historicos existimantium, docendoque primum discentium, invicem mutua scabentium et potentiorum limina omni adulationum ceterarumque malarum artium genere obsidentium atque expugnantium, ductu, imperio, auspicio libertorum.

non extimescimus judicium, ut sponte id potius nostra provocemus ipsi: sunt enim docti Russi longe justiores quia acutiores quibuscunque Pantiliis, ridebuntque aeque has Pantilii de nostra *προσηλυτοποιΐᾳ* insinuationes, sicut jam risere similia defuncti Stratimirovicii terriculamenta.

Nos interim rideamus *scholam historicam* Bohemiae, in qua *Palackus* se et *Schaffarikum* statuit summi *Dobrovii* successores. Videmus quidem sedentes hos *ambos* in cathedra *unius* Dobrovii, sed negamus esse *successores*, quales e.g. fuere Aristotelis aut Platonis, continuantes doctrinam magistri. Nam quid commune *vigilantissimo Dobrovio*, cum his *somniatoribus*, quid luci cum tenebris, quid summo Critico, ne dicamus ὑπερκριτικῷ, cum summa et impudentissima vel *ἀκρισίᾳ* vel hypocrisi! Sunt igitur nec *vocati*, nedum *electi*, sed *αὐτόκλητοι*, i. q. Russis самозванцы. Certe *Jacobus Grimm* (Göttingische gel. Anzeigen 1837, Nr. 33) gravissimo judicio, sed ut vides etiam periculo suo, nec leviori nostra invidia, alium pronunciavit veriorem Dobrovii successorem. Hincque illae lacrimae? —

ΚΟΓΞ ΟΜΠΑΞ — VADE IN PACE.

EMENDANDA ET ADDENDA

Ad p. XXIV. Quid si *Επιγλωσσιςὴς* noster fuerit e. g. aliquis Ducum Polotensium quorum quinque cum familiis A. 1128 leviro suo Constantinopolin custodiendos misit Monomachi filius? — De *Smederevi* civitatis etymo non tam potior quam unice vera videtur derivatio a *Monte aureo* Veterum, unde Byzantini more suo, cf. *Stambóli*, *Stancò*, *Staliméni*, *Sathínes* etc., praemisso *Σ* (εἰς) fecerint *Smonderevo*, tandemque Bulgari *Smenderevo* et Serbi *Smederevo*, Germani adeo *Semendria*. A Смедръ vero necessario fieret *Smédrovo*, sine *e* in secunda syllaba, formâ Byzantinis quidem etiam usitata, sed ignota Bulgaris Serbisque, testibus domesticis.

Ad p. 3., v. 16. *τοῦ* худосілно lectionem debemus divinationi doctissimi professoris Mosquensis Mich. *Pogodin*, forte Viennam praetervecti in magno suo itinere per universum Occidentem a. 1839. In codice pro c apparet quasi к, л vero suprascriptum est *τῷ* i.

Ad. p. 3. v. 21. Pro бессмысла lege бессмъісла. Nam repetimus, in codice pro ы hodierno ubique scribi ъı.

Ad p. 31, v. 29. Pro 1655 lege 1554. Cardinalis *Lotharingicus*, Carolus, frater Francisci ducis de *Guise*, natus 1525, obiit quinquagenarius 1574.

Licebit hac occasione quaerere, ubi nunc haereat „*Codex Nov. Test. membranaceus, charactere et idiomate russico, ante 400 et fortean plures annos descriptus*“ quem A. 1644 habuit in *sua* bibliotheca Steph. Jo. *Stephanius* Danus. (Vide ejus Notas ad Saxonem Grammaticum, Proleg. p. 11). Nos quidem frustra quaesivimus Romae inter Reginae Christinae codices. Putes haerere aut Lugd. Bat. inter Vossianos, aut in Dania, aut denique migrasse in Angliam.

Coeptum imprimi mense Martio 1839, absolutum Februario 1840.

част. нѣчего.
ἀγκαλίδα · μερίδα ·:-
под пазуѣ. рукъвати.
ἀγκαλίδας · δράγματα ·:·
уте.
ἀγκαλεῖ · ἀναπηρώσκει ·:-
ров.
ἀγκάπωνς · βόθρος ·:-
колѣне
ἀγκύλας · τὰ κεικία τῆς ἀλώσεως ·:-
подколѣне.
ἀγκύλη · τὸ ὄπισθεν τοῦ γόνατος ·:-
зло .. свѣтник.
ἀγκυλομήτης · ὁ σκολιὰ βουλευόμε
лстец.
νος · δόλιος · καὶ πανοῦργος ·:-
неправо кругло. кругло.
ἀγκύλον · περιφερὲς · κυκλο
змалъі криво. криво.
τερὲς · ἐπικαμπὲς · σκολιόν ·:-
неправо, ка лук дѣтн вн.
ἀγκυλοτόξοιο · · ἐπικάμπη τόξα ἔ
χοντας ·:-
дн устнъі кривъі.
ἀγκυλοχείλεε · τὴν σκολιοχείλον ·:-
наξор.
ἀγκύρα · σίδηρον ἐργαλεῖον τι ὃ
κρατούμενον ἐν τῇ νηὶ προσασφάλισιν ·:-
ссуаъі, мунтелнъіга.
ἀγκωνίσκοι · · σκαντιμοερικτικά ·:-
свѣтлое сѣдалище.
ἀγλαόθρονον · λαμπρὰν καθέδραν ·:-
ἀγλαϊκόν · ἁλυκόν ·:- слано.
добрѣ красен.
ἀγλαήφι · τὸ κάλλει ·:-
свѣтлост.
ἀγλαΐα · λαμπρότης ·:-
доброты
ἀγλαΐαις · καλλοναῖς ·:-

Silvestre scrip.t Picquet sculp.t

OPUSCULI CONSPECTUS.

Pag.

1) Praefatio.

De Codice, cujus hic editur pars graecorussa; deque tribus aliis inéditis lexicis Cyrillo Alexandrino tributis, et de Epiglossista russo. III—XXIV.

2) Codicis Vindob. pars graecorussa......... 1—24

3) Appendix.

1. De fragm. cyrilliano Raygrad. et Pseudochrysostomi homilia gr.. 25
2. De Evangelio ruthenoslavico in monasterio Bodyan Hungariae... 27
3. De Psalterio latino-polono-germanico, secc. XIII et XIV....... 28
4. De cimelio *Remensi* cyrilliano et glagolitico, sec. XIV....... 30
5. De Evangeliario, versionis Italae, vetustissimo Vindobonensi... 32
6. De Lutheri insidiatore, Dre Francisco Polono, quaestio historica. 33
7. De Psalterio Slavico Bononiensi, cum comm. S. Athanasii inedito. 34
8. De Evangelistario Vaticano glagolitico, sec. XI, Assemaniano.. 39
9. De psalterio ruthenico semi-tironiano...................... 44
10. De Manassis chronico prosa verso slavice, Vaticano, sec. XIV. 44
11. De tabulis bulgaricis graeculi agyrtae Romae impressis..... 45
12. De Catechismo quinquelingui lutherano, unico in Vaticana..... 46
13. De linguae S. Methodii liturgicae *pannonietate*.............. 48
14. De *theatro* apostolicorum SS. Cyrilli et Methodii laborum...... 50
15. De *Maciejowski* polonicis ad hist. eccles. commentariis. 56
16. De veterum codicum bohemicorum novis inventionibus.......... 58
17. De Ludovici *Gaji* novarum tabularum in Croatia duplici molimine. 59
18. De Constantini Porphyrogeniti loco satyrico (Them. II, 6)...... 63
19. De linguae graecae aevo Pericleo pronuntiatione.............. 63
20. Bona spes linguae graecae illustrandae e slavica.............. 64
21. Regis Avarorum epistola ad Imperatorem Romanorum......... 65
22. Epimetrum de cimelio nunc Remensi, olim Pragensi. Cf. 4. 65

— Postscripta bina: de Maciejowsko et de Pantilio; et Addenda... 67—72